HYMNI ET PROSÆ ECCLESIASTICÆ, VVLGO SEQVENTIÆ DICTÆ, BREVIVSCVLA quidem, ſed maximè commoda Hermanni Torrentini explanatione illuſtrati.

Qui pijs & Chriſtianis oblectantur canticis, his ſe oblectent.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Gulielmi Syluij Typographi Regij. Anno
M. D. LXII.

METRVM IAMBICVM, EIVS tamen legem vbique exactè non ſeruans.



ONDITOR ALME ſyderum, æterna lux credentium, Chriſte redemptor omnium, exaudi preces ſupplicum. Qui condolens interitu mortis perire ſæculum ſaluaſti mundum languidũ, donans reis remedium. Vergente mundi veſpere, vti ſponſus de thalamo, egreſſus honeſtiſsima virginis matris clauſula. Cuius forti potẽtia genu curuantur omnia cæleſtia, terreſtria, nutu fatentur ſubdita. Occaſum ſol cuſtodiens, luna palorem retinens, candor in aſtris relucens, certos obſeruãt limites. Te deprecamur hagie, venture iudex ſęculi, conſerua nos in tempore hoſtis à telo perfidi. Laus, honor, virtus, gloria, Deo patri cum filio, ſancto ſimul paracleto, in ſempiterna ſęcula. Amẽ.

Condo, ſignificat conſtruo, compono, abſcondo, facio. Inde conditor, id eſt, factor. Interire, quaſi inter aliqua ire: Vnde mors dicitur interitus, quia it inter corpus & animam illa ſeparando. Vergere, eſt declinare vel tendere, vt dies vergit ad veſperum. Hagios græce, Latine dicitur ſanctus. Vnde hagiographia vocatur ſancta ſcri... à nomine ... Perfidus, dicitur infidelis, & eſt media breuiata, quia venit ... Prudentius: Perfidus ille Deo, Sed perfidus vrbi.

¶Met... Iambicum.

VEni redemptor gentium, ostende partum virginis, miretur omne sæculum, talis decet partus Deum. Non ex virili semine, sed mystico spiramine, verbum Dei factum est caro, fructusq; ventris floruit. Aluus tumescit virginis, claustra pudoris permanent, vexilla virtutum micant, versatur in templo Deus. Procedens de thalamo suo, pudoris aula regia, geminæ gigas substantiæ, alacris vt currat viam. Egressus eius à patre, regressus eius ad patrem, excursus vsque ad inferos, recursus ad sedē Dei. AEqualis æterno patri, carnis trophæo accingere, infirma nostri corporis, virtute firmans perpetim. Præsepe iam fulget tuum, lumenque nox spirat nouum, quod nulla nox interpolet, fideq; iugi luceat. Deo patri sit gloria, eiúsq; soli filio, cum spiritu paracleto, & nunc & in perpetuum.

Partus, est modus vel actio pariendi, vnde sensus hic est: Ostende tuam natiuitatem, quod virgo potest parere te volente, quia talis partus, id est, de virgine, decet Deum. Hic alacer, hæc alacris, vel hic & hæc alacris, id est, festinans vel leuis vel cum lætitia festinus. Virg. Ergo alacris palmas vtrásque tetendit. Trophæum, est insigne spolium, quod ex hostibus reportatur in signum victoriæ. Formam autem nostræ substantiæ Christus induit, quam rectè hic trophæi nomine exprimit. Christus enim per carnem assumptam debellato Diabolo, victor euasit. Neq; hic strophio legendum est, cùm versus non constat.

¶Iambicum dimetrum.

quæq; incre-

VOx clara ecce intonat, obscura [illegible] ab æthere Chri-
pat, pellantur [illegible] inus [illegible] surgat torpida, quę sor-
stus promicat. Mens iam [illegible] de ex-

de extat ſaucia, ſidus refulge iam nouum, vt tollat omne noxium. Et ſurſum agnus mittitur, laxare gratis debitum, omnes pro indulgẽtia, vocem demus cum lachrymis. Vt cum ſecundò fulſerit, horrorque mundum cinxerit, nõ pro reatu puniat, ſed pius nos tunc protegat. Laus, honor, virtus, &c. vt ſuprà.

Torpeo, ſignificat piger ſum. Inde Torpidus, id eſt, piger. Torpor. i. pigritia. Saucius, dicitur percuſſus aut vulneratus, Et dicitur ſaucius pro ſauciatus, ſicut aſſus pro aſſatus, vt ait Priſcianus. Indulgentia licet non ponatur pro venia, tamen propriè ſignificat permiſſionem & clementiam.

¶In natali Domini. Iambicum dimetrum.

A Solis ortus cardine, aduſque terræ limitem, Chriſtum canamus principem, natum Maria virgine. Beatus author ſęculi, ſeruile corpus induit, vt carne carnem liberans, ne perderet quos condidit. Clauſa parentis viſcera, cæleſtis intrat gratia, venter puellæ baiulat, ſecreta quæ non nouerat. Domus pudici pectoris, templum repente fit Dei, intacta neſciens virum, verbo concepit filiũ. Enixa eſt puerpera, quẽ Gabriel prædixerat, quem matris aluo geſtiens, clauſus Ioannes ſenſerat. Fœno iacere pertulit, præſepe nõ abhorruit, paruoq; lacte paſtus eſt, per quem nec ales eſurit. Gaudet chorus cæleſtium, & angeli canunt Deo, palamq; fit paſtoribus, paſtor creator omnium. Gloria tibi domine, qui natus es de virgine, vt infra.

Cardo, est ferrum ad quod ianua pendet. Item à similitudine cardines dicuntur duæ altissimæ partes cæli, quæ & poli vocantur, & vertices, quia circum illos verti videtur: hic tamen cardo videtur poni pro principio. Nam cardo pro ianua, ianua pro principio sumitur. Baiulus, est qui onera portat pro nummis. Inde baiulare, id est, portare. Niti, & eniti, laborare significant, & ponuntur pro parere, sed impropriè dicuntur de virgine Maria, quæ vtique sine labore peperit. Gestire, est motu corporis indicare lætitiam. Teren. Cherea quid sic gestis? quid sic lætus es? Ales substantiuè, auem significat: adiectiuè velocem. Nam pro eo qui alit, non legimus, licet ita quidam hic positum putent.

De Epiphania. Simile genus carminis.

HOstis Herodes impie, Christum venire quid times? non arripit mortalia qui regna dat cælestia. Ibant Magi quam viderant stellam sequentes præuiam, lumen requirunt lumine, Deum fatentur munere. Caterua matrum personat, collisa deflens pignora, quorum tyrannis milia Christo sacrauit victimam. Lauacra puri gurgitis cælestis agnus attigit, peccata quæ non detulit, nos abluendo sustulit. Nouum genus potentiæ, aquæ rubescunt hydriæ, vinumque iussa fundere, mutauit vnda originem. Gloria tibi domine, qui natus es de virgine, cum patre & sancto spiritu in sempiterna sæcula. Amen.

Pius, dicitur qui Deum colit & amicos. Impius, id est, non pius id est, qui Deum non colit, nec alios quos deberet. Magus, dicitur astrologus. id est, qui ex astrorum consideratione aliquid prædicit, & qui secretis verbis aut rebus miranda facit. Magia, media producta, est ars magica. Sustulit præteritum est à tollo, quod quandoque significat porto, quandoque aufero, vt hic. Hydor græcè, aqua dicitur. Inde hydria, est vas aquarium. Item hydrus & hydra, serpens aquaticus. *Ad ho-*

¶Ad horas in Natiuitate.
Metrum ſicut præcedens.

AGnoſcat omne ſæculum, veniſſe vitæ præmiū: poſt hoſtis aſperi iugum apparuit redemptio. Iſaias quæ cecinit completa ſunt in virgine, annunciauit angelus, ſanctus repleuit ſpiritus. Maria ventre concipit verbi fidelis ſemine, quem totus mundus non capit, portant puellæ viſcera. Radix Ieſſe iam floruit, & virga fructum edidit, fœcunda partum protulit, & virgo mater permanet. Adam vetus quod polluit, Adam nouus hoc abluit: tumens quod ille deijcit, humillimus hic erigit. Iam nata lux eſt & ſalus, fugata nox & victa mors, venite gentes, credite, Deum Maria protulit. Gloria tibi domine, qui natus es de virgine, cum patre & ſancto ſpiritu in ſempiterna ſæcula.

Sæculum, eſt tempus centum annorum, vel ſpatium humanæ vitæ. Vnde & ſæculares ludi, qui poſt centum annos fiebant Apollini. Mundus, eſt tota Dei machina, id eſt, cælum, mare, terra, quandoque tamen accipitur pro terra tantum. Ieſſe, fuit pater Dauid. In Iſaia ſic legitur: Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & cæt. Radix, hic ſignificat progeniem: virga Mariam, flos Chriſtum,

Rhythmus Iambicus.

CAElum coruſcans intonat, tellus reſultans perſonat, infernus hians vlulat, humanitáſque iubilat. Hoc iuſtitiam ſtillitet, hæc veritatem germinet: hic detrimenta congemit, hæc incre-

incrementa suscipit. Dum semper natus in æuo nunc in æui simulacro, de virginali vtero, adest ruenti sæculo. Vt factus homo mortalis, quem hominem immortalis, immortalem condideras, mortalem nunc eripias. Natus ergo in tempore, & natus ante tempora, orto fidei sidere, mentis tenebras amoue. Gloria sit ingenito, ingenitique genito, ingeniti & geniti paracleti spiritui. Amen.

Vlulare, est flebilem vocem emittere, teut. huylen. Indè vlula, est auis nocturna, een vle. Stillito, est frequentatiuum à stillo, Simulacrum, est imago vel similitudo, vt ibi: Simulacra gentiũ argentum & aurum. Ingenitus quandoque significat non genitus, vt hic quandoque significat in aliquo genitus, vt amor veritatis est nobis ingenitus.

¶ Carmen Iambicum.

IEsus refulsit omnium pius redemptor gentium totum genus fidelium, laudes celebret dramatum. Quem natum stella fulgida monstrat micans in æthera, magosque duxit præuia ipsius ad cunabula. Illi cadentes, paruulum pannis adorant obsitum, verum fatētur vt Deum, munus ferendo mysticum. Denis ter annorum cyclis, iam parte viuens corporis, lympham petit baptismatis, cunctis carēs contagijs. Felix Ioannes mergere illũ tremiscit flumine, potest qui suo sanguine peccata cosmi tergere. Nos Christe subnixa prece omnes precamur protege, qui præcipis tubescere aquas potenter hydriæ. Laus trinitati debita, honor, potestas, gloria, perenniter sint omnia, per seculorum secula. Amē.

Drama,est genus carminis : cùm canitur vicissim, id est, per vices. Vnde diuus Hieronymus ait, quod in canticis Salomonis est stylus dramaticus. Dragma autem per g significat manipulũ vel rapinam. Item drachma pondus aut nummus est. Cunabula, sunt cunæ, id est, lectuli infantium. Obsero.i. circundo. Inde obsitus.i. circundatus. Cyclos græce, latine circulus. Vnde Cyclades sunt insulæ in circulo positæ. Contagium vel contages vel contagio, id est, immunditia vel morbus. Mergere, est in aquam indere. Cosmos græce, mundus latine. Vnde macrocosmus, id est, longus mundus, et microcosmus, id est, paruus mundus. Subnixus, id est, submissus, supplex, id est, humilis.

¶Ad vesperas post Epiphaniam.
Simile genus.

DEus creator omnium, polique rector, vestiens diem decoro lumine, noctem soporis gratia: Artus solutos vt quies reddat laboris vsui, mentesq; fessas alleuet, luctusque soluat anxios. Grates peracto iam die, & noctis exortu preces, voti reos vt adiuues, hymnum canentes soluimus. Te cordis ima concinant, te vox canora concrepet, te diligat castus amor, te mens adoret sobria. Vt cum profunda clauserit diem caligo noctium, fides tenebras nesciat, & nox fidei luceat. Dormire mentem ne sinas, dormire culpa nouerit, castos fides refrigerans, somni vaporem temperet. Exuat sensu lubrico, te cordis alta somnient, ne hostis inuidi dolo, pauor quietos suscitet. Christum rogemus & patrẽ Christi patrisque spiritum, vnũ potens per omnia foue precantes trinitas.

Polus, dicitur latinè vertex, sunt enim duo poli, id est, vertices cæli, qui & axes dicuntur: scilicet arcticus, id est, borealis, & antarcticus, id est, contra arcticum. Per synechdochen autem Polus pro cælo ponitur, Reus voti, dicitur qui se obligauit aliquo voto, nam quisque Christianus obligauit se diuino seruitio. Caligo, est obscuritas. Est etiam caligo verbum, idem quod obscurum esse, & vtrunque producit i. Mentem dormire, id est pigrum & non solicitum esse. Culpa nouerit dormire, id est, cessare vel abesse. Lubricus, dicitur immundus, vel in quo cito labimur. Vnum ponitur hic aduerbialiter pro vnanimiter vel æqualiter, ni velimus sic dicere, O potens trinitas quæ es vnum, id est, vnius substantiæ.

Ad Completorium. Rythmus Iambicus.

IEsu saluator sæculi, verbum patris altissimi, lux lucis inuisibilis, custos tuorum peruigil. Tu fabricator omnium, discretor atque temporum, fessa labore corpora noctis quiete recrea. Tu, deprecamur supplices, vt nos ab hoste liberes, ne valeat seducere, tuo redemptos sanguine. Vt dum graui in corpore breui manemus tempore, sic caro nostra dormiat: vt mens soporem nesciat. Sit Christe rex pijssime tibi patrique gloria, & cæt.

Discretor temporum dicitur, qui discernit, vel discreuit tempus. Item discretus dicitur prudens, qui nouit discernere, id est, distinguere bonum à malo.

¶De summa Trinitate. Ad vesperas, Iambicum dimetrum.

O Lux beata trinitas, & principalis vnitas, iam sol recedit igneus, infunde lumen cordibus, Te mane laudum carmine, te deprecemur vesperi, te nostra supplex gloria per cuncta laudet sæcula.

Deo

Deo patri ſit gloria, eiuſque ſoli filio, cum ſpiritu paracleto & nunc & in perpetuum.

Lux & lumen, pro eodem accipiuntur, vt in Euangelio Ioannis. Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine. Nam in Græco habetur eadem dictio, ſcilicet φῶς pro lux et lumē.

Simile.

TE lucis ante terminum, rerum creator poſcimus: vt ſolita clementia ſis præſul ad cuſtodiā. Procul recedant ſomnia & noctium phantaſmata, hoſtemq; noſtrum comprime, ne polluantur corpora. Præſta pater omnipotens per Ieſum Chriſtum dominum, qui tecum in perpetuum regnat cum ſancto ſpiritu.

Lux ſæpe ponitur pro die, ſic habet plurale. Ouid. Perque nouem luces. Præſul, dicitur qui præeſt ſolo, id eſt, terræ, hoc eſt princeps: ſæpius tamen accipitur pro epiſcopo. Phantaſma græce, dicitur latine viſio vel apparitio. Idem ſignificat phaſma. Item Phantaſia, eſt imaginatio vel ſpeculatio.

¶ Ad primam. Sicut præcedens.

IAm lucis orto ſydere, Deum precemur ſupplices, vt in diurnis actibus nos ſeruet à nocentibus. Linguam refrenans temperet, ne litis horror inſonet, viſum fouendo protegat, ne vanitates hauriat. Sint pura cordis intima, abſiſtat & vecordia, carnis terat ſuperbiam potus cibique parcitas: vt, cùm dies abſceſſerit, noctemque ſors reduxerit, mundi per abſtinentiam, ipſi canamus gloriā. Deo patri ſit gloria, eiuſque ſoli filio, cum ſpiritu paracleto, & cæt.

Sidus, quandoque est cæleste signum, in quo multæ sunt stellæ, vt aries, taurus. Quandoque capitur pro stella & præcipuè pro planeta. Vnde sol & luna dicuntur sidera, & non stellæ. Sidus lucis est aut lucifer, aut sol. Vecors, dicitur piger, aut stultus. Vecordia, pigritia aut stultitia.

¶ Ad tertiam. Simile.

NVnc sancte nobis spiritus, vnum patri cum filio dignare promptus ingeri nostro refusus pectori. Os, lingua, mens, sensus, vigor confessionem personent, flammescat igne charitas, accendat ardor proximos. Præsta pater pijssime, patriq; compar vnice, cum spiritu paracleto, regnans per omne sæculum.

Vnum patri. i. vnius substantiæ cum patre, spiritussanctus nō vnus patri, sed vnum, quia neutrum genus significat substantiam. Flammesco i. ardeo vel incendor. Nam à nomine flamma fit flammeo, quod non est in vsu. Inde Flammesco. i. fio flammeus.

¶ Ad sextam. Simile.

REctor potens, verax Deus, qui temperas rerum vices, splendore manè instruis, & ignibus meridiem. Extingue flammas litium, aufer calorē noxium, confer salutem corporum, veramque pacem cordium. Præsta pater pijssime. vt suprà.

Vices, sunt tempora & mutationes. Temperare, est regere vel moderari. Instruere, ponitur pro parare. Virgil. Instruimus naues.

¶ Ad nonam. Simile.

RErum Deus tenax vigor, immotus in te permanens, lucis diurnæ tempora successibus determinans

minans. Largire clarum vespere, quo vita nusquam decidat, sed præmium mortis acre perennis instet gloria. Præsta pater piissime, vt supra.

Vigor, est fortitudo vel vis. Inde vigeo, id est, vigorem habeo vel floreo. Plin. Quàm iuuat me quod vigent studia.

¶ Ad Completorium.

CHriste qui lux es & dies, noctis tenebras detegis, lucisque lumen crederis, lumen beatum prædicans. Precamur sancte domine, defende nos in hac nocte, sit nobis in te requies, quietam noctem tribue. Ne grauis somnus irruat, nec hostis nos surripiat, nec caro illi consentiens, nos tibi reos statuat. Oculi somnum capiant, cor ad te semper vigilet, dextera tua protegat famulos qui te diligunt. Defensor noster aspice, insidiantes reprime, guberna tuos famulos, quos sanguine mercatus es. Memento nostri domine in graui isto corpore, qui es defensor animæ, adesto nobis Domine. Deo patri sit, & cæt.

Christus græce, dicitur vnctus latine, à græco verbo chrio, quod est vngo. Inde etiam Chrisma, id est, vnctio. Surripere, id est, clam rapere, vt aliquis surripuit mihi librum. Mercor est idẽ quod emo. Inde mercator. Scribitur enim per e, in prima syllaba & fit à nomine merx. quod significat rem venalem. Plautus: Proba merx [illegible] emptorem reperit.

Ad vesperas. Iambicum dimetrum.

LVcis creator optime, lucem dierum proferens,
lucis nouæ primordijs mundi parans originẽ.
Qui mane iunctum vesperi, diem vocari præcipis,
tetrum

tetrum chaos illabitur, audi preces cum fletibus. Ne mens grauata crimine, vitæ sit exul munere, dū nil perenne cogitat, seséque culpis illigat. Cælorum pulset intimum, vitale tollat præmium, vitemùs omne noxium, purgemus omne pessimum. Præsta pater pijssime. & cæt.

Mane, ponitur hic nominaliter, vt apud Persium. Iam clarum mane fenestras intrat. Chaos nomen græcum significans omnium rerum confusionem. Exul quasi extra locum, id est, qui sua patriâ expulsus est, sed accipitur pro eo quod priuatus vel carens.

Ad completorium. Idem.

Fit porta Christi peruia, referta plena gratia, transitque rex, & permanet clausa (vt fuit) per sæcula. Genus superni luminis, processit aula virginis, sponsus, redemptor, conditor, suæ gigas ecclesiæ. Honor matris & gaudium, immensa spes credentium, per atra mortis pocula resoluit nostra crimina. Maria mater gratię, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe. Gloria tibi domine, qui natus es de virgine, cum patre & sancto spiritu, in sempiterna secula.

Peruius, est peruiabilis, & vult datiuum. Ouid. Addita sole carens, non vlli peruia vento. Genus, hic significat filium. Ater. i. valde niger. Inde atrare, id est, facere atrum, de quo fit atramentū.

[illegible] Simile.

Clarum decus ieiunij monstratur orbi cælitùs, quod Christus author omnium cibis dicauit abstinens. Hoc Moyses charus Deo, legisque lator factus est, hoc Eliam per aëra curru leuauit igneo.

igneo. Hinc Dauid mysterium victor leonum viderat, per hoc amicus intimus sponsi Ioannes claruit. Hæc nos sequi dona Deus exempla parsimoniæ, tu robur auge mentium, dans spiritale gaudium. Præsta pater per filium, præsta per almum spiritum, cũ his per æuum triplici vnus Deus cognomine.

Mysterium, nomen græcum est, significans secretum. Horatius: Pandimus interdum populo mysteria regum. Proprie tamen mysteria sunt arcana sacra.

¶In prima dominica Ieiunij.
Idem genus.

EX more docti mystico, seruemus hoc ieiunium, deno dierum circulo ducto quater notissimo. Lex & Prophetæ primitus hoc prætulerũt, postmodum Christus sacrauit, omnium rex atque factor temporum. Vtamur ergo parciùs, verbis, cibis, & potibus, somno, iocis, & arctius perstemus in custodia. Vitemus autem pessima, quæ subruunt mentes vagas, nullumque demus callido hosti locum tyrannidis. Dicamus omnes cernui, clamemus atque singuli, ploremus ante iudicem, flectamus iram vindicẽ. Nostris malis offendimus, tuam Deus clementiam, effunde nobis desuper remissor indulgentiam. Memento quod sumus tui, licet caduci plasmatis, ne des honorem nominis tui precamur alteri. Laxa malum quod gessimus, auge bonum quod poscimus, placere quo tandem tibi possimus hîc & perpetim.

Mysticus, a, um, id est, arcanus vel secretus, vel ad mysterium pertinens. Virg. Et mystica vannus Hiacchi. Arctus, id est, augustus aut strictus. Inde aduerbium arctè, id est, strictè, cuius comparatiuus est arctius, id est, strictius. Tyrannis, idis, id est, crudelitas. Etiam significat regnum, vt ibi. Tyrannidem tu Paule, &c. Cernuus, id est, inclinatus ad terram, quasi cernens terram. Plasma vel plastis graecè dicitur, Latinè formatio, à graeco verbo platto, quod est formo. Vnde etiam plastes, id est, formator aut figulus.

Ad Completorium.

SVmmi largitor præmij, spes qui est vnica mundi, preces intende seruorum ad te deuotè clamantium. Nostra te conscientia graue offendisse monstrat, quam emundes supplicamus ab omnibus piaculis. Si renuis, quis tribuet? indulge, quia potens es: si corde rogamus mundo, certè debes ex promisso. Hoc ergo acceptato nostrum qui sacrasti ieiunium, quò mysticè paschalia capiamus sacramenta. Summa nobis hoc conferat in deitate trinitas, in qua gloriatur vnus per cuncta sæcula Deus.

Intendere, quandoque significat extendere, vel valde tendere. Virg. Intendunt acres arcus. Etiam est augere, etiam est attendere, vt hic, & dicitur intende preces, et intende precibus. Piaculum, quandoque purgationem significat. Virgil. Duc nigras pecudes ea prima piacula sunto. Quandoque peccatum. Item: Distulit in seram commissa piacula mortem. Quò hic significat vti, similiter in præcedenti hymno.

¶Ad laudes. Iambicum.

AVdi benigne conditor nostras preces cum fletibus, in hoc sacro ieiunio fusas quadragenario. Scrutator alme cordium infirma tu scis virium, ad te reuersis exhibe remissionis gratiam, Multum

quidem

quidem peccauimus, pœnasque comparauimus, ſed cuncta qui ſolus potes, confer medelam languidis. Sic corpus extra conteri dona per abſtinentiam, ieiunet vt mens ſobria à labe prorſus criminum. Præſta beata trinitas, concede ſimplex vnitas, vt fructuoſa ſint tuis ieiuniorum munera.

Quadragenarius, id eſt, habens quadraginta, vt homo quadragenarius, qui habet annos quadraginta. Ieiunium quadragenarium, id eſt, quod habet dies quadraginta. Scrutari, ſignificat inquirere. Horatius: Arcanum neque tu ſcrutaberis vllius vnquã.

Ad Veſperas.

IAm ter quaternis trahitur horis dies ad veſperũ, occaſu ſol prænunciat, noctis redire tempora. Nos ergo ſigno domini tutemur caſta pectora, ne ſerpens ille callidus intrandi tentet aditum. Sed armis puducitiæ mens fulta, vigil liberè, ſobrietate comite, hoſtem repellat improbum. Sed nec ciborum crapula tandem diſtentet corpora, ne viper ſomnum animas ludificatas polluat. Gloria tibi trinitas, æqualis vna Deitas, ſit ante cuncta ſæcula, & nunc & in perpetuum.

Hic Hymnus canitur circa æquinoctium vernum, quando dies eſt æqualis nocti, ſupple duodecim horarum. à verbo tueor, ſit frequentatiuum tutor. Horatius: Quod ſi ſorte roges, quo me duce, quo lare tuter. Virgil. Hanc primam tutare domum. Seu priſco more legitur hic tuto pro tutor, quod non eſt imitandum. Crapula, eſt ſuperfluitas cibi vel potus. Inde crapulari, id eſt, crapula vti. Ludificari, eſt illudere, veteres etiam dicebant ludifico. Plautus: ita me amor ludificat.

¶Ad completorium. Rhythmus
Iambicus.

IEſu quadragenariæ dicator abſtinentiæ, qui ob ſalutem mentium hoc ſanxeras ieiunium. Quo paradiſo redderes ſeruata parſimonia, quos inde gaſtrimargiæ huc illecebra depulit. Adeſto nunc eccleſiæ,adeſto pœnitentiæ,qua pro ſuis exceſsibus orat profuſis fletibus. Tu retro acta crimina tua remitte gratia, & à futuris adhibe cuſtodiam mitiſsime. Vt expiati annuis ieiuniorum victimis, tendamus ad Paſchalia dignè colenda gaudia.Præſta pater per filium,vt ſupra.

Abſtinentia,eſt virtus per quam abſtinemus nos ab illicitis,& præcipuè à cibo & potu. Continentia verò dicitur, cùm abſtinemus à voluptatibus carnis. Gaſter Græce, dicitur venter Latine. Inde gaſtrimargos, id eſt, ventri ſeruiens,vel guloſus : & gaſtrimargia,id eſt,guloſitas vel concupiſcentia ventris. Illecebræ, arum,ſunt delectationes aut voluptates,ab illiciendo dictæ.

¶Dominica in paſsione.
Iambicum dimetrum.

VExilla regis prodeunt, fulget crucis myſterium, quo carne carnis conditor ſuſpenſus eſt patibulo. Confixa clauis viſcera, tendens manus veſtigia, redemptionis gratia hic immolata eſt hoſtia. Quo vulneratus inſuper mucrone diro lanceæ, vt nos lauaret crimine, manauit vnda ſanguine. Impleta ſunt quæ concinit Dauid fidelis carmine, dicendo nationibus, regnauit à ligno Deus. Arbor decora & fulgida, ornata regis pur-

purpura, electa digno stipite tam sancta membra tangere. Salue ara, salue victima, de passionis hostia, quæ vitæ mortem pertulit, & morte vitam reddidit. Beata cuius brachijs, sæcli pependit precium, statera facta est corporis, prædamque tulit tartari. O crux, aue spes vnica, hoc passionis tempore: auge pijs iustitiam, reisque dona veniam. Te summa Deus trinitas collaudat omnis spiritus, quos per crucis mysterium saluas, rege per sæcula.

Prodeo, id est, procedo, est enim compositum, à pro, & eo, is, it. interposito d, euphoniæ causa, vt in redeo, redarguo. Viscus, Visceris; idem est quod caro, sed singularis non est in vsu nostro. vestigium, quandoque pedem significat, vt hic: quandoque signum pedis vt sæpius. Mucro, est acies vel acumen hastæ, vel cuiusque teli, quandoque etiam significat gladium. Purpura, est species conchilij cuius succo tinguntur vestes purpureæ. Et quandoque ponitur purpura pro tali veste, quandoque verò pro ipso colore purpureo, qui similis est concreto sanguini, vnde ponitur hic pro sanguine pretioso. Statera, est quo aliquid, ponderatur, een waghe.

¶In die palmarum. Metrum vt præcedens.

MAgno salutis gaudio, lætetur omne sæculum, IESVS redemptor omnium, sanauit orbem languidum. Sex ante paschæ ferias, aduenit in Bethaniam, vbi piè post triduum resuscitauit Lazarum. Nardi Maria pistici sumpsit libram mox optimi, vnxit beatos domini pedes rigando lachrymis. Post hæc iugalis asinæ Iesus supernus arbiter, pullo sedebat, inclytam pergebat Hierosolymam. O quàm stupenda pietas, mira Dei cle-

clementia, fessor aselli fieri dignatur author sæculi. Honor, decus, imperium, sit trinitati vnicæ, patri, nato, paracleto, per infinita sæcula.

Feriæ pluraliter tantum, sunt dies festi. Cicero in tertio offic. Quærit Cannius ex primo vicino, num feriæ quædam piscatorum essent, quod eos non videret. Inde feriari vieren. Erit constructio sic. Iesus aduenit in Bethaniam sex, supple diebus, ante ferias paschæ. Nam aliter non valet. Libra, quandoque significat instrumentum ponderandi, quandoque verò pondus, quod vulgo talentum dicitur.

¶In tenebrosis matutinis.

Metrum simile.

REx Christe, factor omnium, redemptor, & credentium, placare votis supplicum, te laudibus colentium. Cuius benigna gratia, crucis per alma vulnera, virtute soluit ardua primi parentis vincula. Qui es creator syderum, tegmen subisti carneũ, dignatus hanc vilissimam pati doloris formulam. Ligatus es vt solueres mundi ruentis complices, per probra tergens crimina, quæ mundus auxit plurima. Cruci redemptor figeris terram: sed omnem concutis, tradis potentem spiritum, nigrescit omne sæculum. Mox in paternæ gloriæ victor resplendens culmine, cum spiritus munimine, defende nos rex optime.

Ardua virtute, id est, grandi fortitudine: nam virtus sæpe ponitur pro fortitudine. Arduus autem quandoque altus, quandoque difficilis est. Complex, dicitur complicatus vel socius in malo, sed parum legitur apud bonos authores. Probrum est dedecus, à quo fit opprobrium. Tergere, non est siccare, sed purgare vel mundare. Culmen est tectum domus, et ponitur pro summitate, quod tectum sit summum domus.

In

¶ In festo Paschæ.

Rhythmus.

AD cœnam agni prouidi, & stolis albis candidi, post transitum maris rubri, Christo canamus principi. Cuius corpus sanctissimum in ara crucis torridum, cruore eius roseo gustãdo viuimus Deo. Protecti Paschæ vespere à deuastante angelo, erepti de durissimo Pharaonis imperio. Iam Pascha nostrum Christus est, qui immolatus agnus est, syn ceritatis azyma, caro eius oblata est. O verè digna hostia, per quam fracta sunt tartara, redẽpta plebs captiuata, redit ad vitæ præmia. Consurgit Christus tumulo, victor redit de barathro, tyrannum trudens vinculo, & reserans paradisum. Quæsumus author omnium, in hoc Paschali gaudio, ab omni mortis impetu tuum defendas populum. Gloria tibi Domine, qui surrexisti à mortuis, cum patre & sancto spiritu in sempiterna sæcula.

Stola, nomen Græcum, significat indumentum, sed sæpius accipitur pro longiori veste. Magnus est error vulgi, capientis stolam pro fascia colli. Gustando cruore, dicitur ornatius, quàm gustando cruorem: sicut hora legendi libri pulchrius dicitur, quàm legendi librum. Pharao, fuit nomen antiquissimi regis Ægypti, à quo deinde alij reges ibi denominati fuerunt, sicut à Iulio Cæsare Romani imperatores dicti sunt Cæsares. Item Pharao, interpretatur rex, & significat hic diabolum. Azymum, Græcum est, significans sine fermento. Dicitur autem azymus, a, um, & substantiuatur in neutro genere, pluralis numeri. Barathrum, Græce, vorago, latine, vel profundissimus locus.

Ad completorium.

IEſu noſtra redemptio,amor et deſiderium, Deus creator omnium , homo in fine temporum. Quæ te vicit clementia, vt ferres noſtra crimina, crudelem mortem patiens , vt nos à morte tolleres? Inferni clauſtra penetrans, tuos captiuos redimens, victor triumpho nobili, ad dextram patris reſidens.Ipſa te cogat pietas ,vt mala noſtra ſuperes parcendo , & voti compotes nos tuo vultu ſaties.Gloria tibi domine,qui ſcandis ſuper ſydera, cũ patre & ſancto ſpiritu in ſempiterna ſæcula.

Ieſus Hebraicè,ſoter Græcè , ſalutaris aut ſaluator Latinè. Eſt enim propriè triſyllabum, vt apud probatos ſemper legitur authores. Penetrare, quaſi penitus intrare vel tranſire. Triumphus ſolennis honor, qui victori principi à Romanis exhibebatur. Inde triumphare,id eſt,triumphum agere, vt Titus & Veſpaſianus triumphauerunt de Iudæis.

¶In feſto Pentecoſtes. Iambicum dimetrum.

VEni creator ſpiritus,mentes tuorum viſita,imple ſuperna gratia quæ tu creaſti pectora. Qui paracletus diceris,donum Dei altiſsimi,fonsviuus, ignis,charitas,& ſpiritalis vnctio. Tu ſeptiformis munere,dextræ Dei tu digitus , tu rite promiſſum patris,ſermone ditans guttura. Accende lumen ſenſibus,infunde amorẽ cordibus, infirma noſtri corporis , virtute firmans perpeti. Hoſtem repellas longius,pacemque dones protinus, ductore ſic te præuio vitemus omne noxium. Per te ſciamus da

patrem, noſcamus atque filium, te vtriuſque ſpiritum credamus omni tempore. Sit laus patri cum filio, ſancto ſimul paracleto, nobisque mittat filius, chariſsima ſancti ſpiritus.

Pentecoſte, Graecum nomen eſt, ſignificans idem quod quinquageſima Latinè. Eſt enim quinquageſima dies à Paſcha. Iudaei etiam habebant hoc feſtum, & eodem nomine vocabant, eo quod die quadrageſima poſt tranſitum maris rubri ſuſceperunt legem in monte Sina. Paracletus Graece, Latine conſolator vel aduocatus, et proprie habet in penultima ſyllaba e productam, vt oſtendit Philelponus. Septem dona ſpiritusſancti. Timor: pietas, ſcientia, fortitudo, conſilium, intellectus, ſapientia. Vnde eſt verſus: Sap, intel, con, for, ti, ſci, pi, collige dona.

¶ Ad completorium
Simile.

Beata nobis gaudia anni reduxit orbita, cùm ſpiritus paracletus effulſit in diſcipulos. Ignis vibrante lumine, linguae figuram detulit, verbis vt eſſent proflui, & charitate feruidi. Linguis loquuntur omnium: turbae pauent gentilium muſto madere deputant, quos ſpiritus repleuerat. Sed ſignis & virtutibus occurrit, et docens Petrus, falſos probauit perfidos Ioëlis teſtimonio. Patrata ſunt haec myſtice, paſchae peracto tempore, ſacro dierum numero quo lege fit remiſsio. Dudum ſacrata pectora tua repleſti gratia, dimitte nunc peccamina, & da quieta tempora. Te nunc Deus pijſsime, vultu precamur cernuo, illapſa nobis caelitus largire dona ſpiritus. Gloria tibi Domine.

Orbita, id est, orbis, id est, rotunditas vel circuitus. Exorbitare. i errare. Vibrare, est mouere. In Psalm. Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit, scilicet, dominus. Profluus, id est, profluens vel abundans, ita dicitur affluus, influus, defluus, & cæt. Mustum, est nouum vinum. Dicitur etiam adiectiuè mustus, a, um, vel musticus, pro eo quod est nouus aut recens. Ioël fuit propheta, qui de aduentu spiritussancti prophetauit, quod S. Petrus allegabat, et Iudæos conuicit erroris. Patrare, est facere. Pentecoste, dicitur quinquagesima, qui numerus sacer est. qui quinquagesimus annus dicitur in lege veteri iubileus, in quo dimittebantur omnia debita et grauamina.

¶ In visitatione Mariæ. Rhythmus compositus.

IN Mariam vitæ vitam, matrem veram viuentiũ, piè venit qui redemit peccata delinquentium. Gressum cepit dum concepit Maria multum properans, visitauit, cõfortauit Elizabeth compatiens. Salutatur, inflammatur Elizabeth & filius, inaudita fiunt ita de dono sancti spiritus. Imprægnata, grauidata, fit mater olim sterilis, infans datus nondum natus, exultat Christo iubilans. Seruit maior, gaudet minor, Maria fert solatium, visitatis, præparatis, ad spiritum propheticum. Præcursorem & doctorem Maria manu indicat, qui rectorem, purgatoré, digito mundo nunciat. Leua gregem, duc ad regem, Maria cunctos visitans, vt saluetur & lætetur, cum tu sis mater medians.

Maria, dicitur via vitæ: quia per eam nec aliter venitur ad vitam beatam. Prægnans, dicitur fœmina grauida, et vicina partui. Vnde fit impregnare, id est, facere prægnantem, sed non legitur apud idoneos & elegantes. Grauidus, id est, plenus vel grauis. Inde grauidare, id est, facere mulierem grauidam. Digiti non solũ

sunt manuum, sed etiam pedum dicuntur, quos inepte vocant pedicas. Nam pedica est laqueus pedum.

¶De sancto Martino. Iambicum dimetrum.

EN gratulemur spiritu voti, colentes debita hæc festa, quę solemnibus Martinus ornat gaudijs. Tu supple Christe quod minus vis nostra languens efficit, tu da quietos temporum, nobis dies præsentium. Martinus autem præuius fac vt sit horis omnibus, ne dæmonum fallacia pes noster impactus ruat. Hic arma nobis cælica instante pugna conferat, hoc præliante cominus, hostis fugetur noxius. Hic nos per vndas sæculi clauo gubernet prospero, ne forte nostram spumea puppim charybdis sorbeat. Hic nos triumpho nobili & laureatos mysticè, aptet tuis conspectibus iunctos supernis ciuibus.

Gratulari, est de alicuius bono lætari. Etiam significat gratias agere. Dicitur etiam grator in eodem sensu, sed apud poëtas tantum reperitur. Impingere, est impellere vel intendere, vt Socrates impegit caput suum parieti, hinc fit impactus, id est, impulsus vel intrusus. Clauus inter alia significat lignum quo regitur gubernaculum nauis, teu. Dat roer aen een schip. Charybdis, est grande saxum in mari inter Italiam & Siciliam, quod graue periculum facit nauigantibus, vnde ponitur hic pro periculo.

¶De sancta Maria Magdalena. Metrum Iambicum dimetrum.

VOtiua cunctus orbita, lucis triumphat gratia, qua scandit astra vernula Maria Christi fulgida. Calcans beata luridam sæcli ruentis machi-

nam, ardore sancti spiritus ignes subegit lubricos. Hæc sacras Iesu lachrymis plantas rigauit intimis, tersit capillis osculans, vitæ tenebras expians. Te quæsumus gratissimam nobis deposce veniam, cælestis aulæ tinnulis quo perfruamur organis. Regi cælorum gloria, eiusque soli filio, sanctoq; sit spiritui in sempiterna sæcula.

Votiuus, quandoque dicitur desiderabilis, vt hoc loco, quandoque verò pertinens ad votum, id est, promissum. Verna, est seruus aut serua in domo domini nata: Inde, hic vernulus hæc vernula. Luridus, id est, turpis vel pallidus, quasi loro percussus. Expiare, est purgare. Tinnire, est sonare vt instrumenta ærea. Inde tinnitus, id est, talis sonus, & tinnulus. i. sonorus, vel tinniens. Inde tintinnabulum een schelle.

De sancto Laurentio.
Metrum simile.

EN Martyris Laurentij, armata pugnauit fides, nam morte mortem diruit, ac semet impendit sibi. Fore hoc sacerdos dixerat iam Sixtus affixus cruci. Laurentium flentem videns crucis sub ipso stipite: Desiste decessu meo fletum dolenter fundere, præcedo frater, tu quoque post hoc sequeris triduum. Extrema vox episcopi, pronunciatrix gloriæ, nihil fefellit, nam dies prædicta palmam præstitit. Deo patri sit gloria, eiusque soli filio, cum spiritu, & cætera.

Impendeo, significat immineo vel insto, & regit aut nullũ casum aut datiuum, vt mors impendit omnibus. Impendo, significat do, & regit accusatiuum cum datiuo: vt Petrus impendit mihi multa bona. Hinc impendium & impensa teut. cost oft onkost. Episcopus, Græcum nomen, Latine dicitur rector, vel superintendens, vel speculator.

¶ De eodem.

COnſcendat vſque ſydera, cæliq́ue pulſet intima, vox atque cantus omnium, te Deum collaudantium. Adeſt nanque feſtiuitas, & dies venerabilis in qua cælum pro meritis Laurētius ingreſſus eſt. Qui ſuperatis ignibus & impijs tortoribus, ſæuis deuictus hoſtibus, nunc gaudet in cęleſtibus. Ipſe dignetur dominum rogare clementiſsimum, vt ab æternis ignibus nos ſeruet & dæmonibus. Deo, & cæt.

Pulſare, eſt frequentatiuum à pello, vnde ſignificat ſæpe pellere vel percutere, vt in lege duodecim tabularum. Qui parentē pulſauerit, manus ei præcidatur. Sæuus, a, um, id eſt, crudelis. Inde ſæuitia, id eſt, crudelitas, & ſæuire, id eſt, crudeliter agere.

De natiuitate Mariæ.
Rhythmus.

MAria mater domini, æterni patris filij, fer opem nobis omnibus, ad te confugientibus. Deum de Deo genitum, tu genuiſti filium, qui non habet initium, in te ſumpſit exordium. Cælum terramq́ue qui regit, in te formatus extitit, quem totus mundus non capit, in tuo ventre iacuit. Deus et homo naſcitur, vnus & Chriſtus colitur. Ieſus redemptor omnium, ſaluator atq; gentiū. Hunc naſci nobis profuit, à morte nos eripuit, pro nobis ipſe mortuus, & nos per eū viuimus. Deo patri ſit, &c.

Opis, opem, ope, caret nominatiuo & datiuo, ſingularibus, vt ait Phocas Grammaticus, ſignificat autem auxilium. Virg. Nec ſpes opis vlla dabatur. Etiā in numero plurali ſignificat idem, vel diuitias vel facultates. Exordium, id eſt, principium, & ſit à

& fit à verbo exordior, quod est compositum ab ordior. **Deus &** *homo & cæt. In symb. Atha. Qui licet Deus sit & homo: non duo tamen, sed vnus est Christus, & cæt.* **Prosum,** *id est, vtilis sum, cuius præteritum perfectum est profui. Item profuit hoc loco, aut est impersonale, aut suppositum eius est dictum, scilicet, hũc nasci.*

De sancto Lamberto.

Rhythmus.

HYmnum canamus gratiæ Chrysto, qui est rex gloriæ, & martyris victoriã ducamus ad memoriam. Assunt sacra solennia, quibus docet ecclesia, qua sit virtute præditus Lambertus martyr inclytus. Inuictus in certamine athleta Christi nomine, fidem synceram tenuit, & charitate micuit. Crimen Pippini prohibens, curam solerter adhibens, incæstas damnat nuptias, veræ saluti noxias. Hinc vt sumatur vltio, præsul datur supplicio, pœnam suffert alacriter, quam placat causa iugiter. Deo patri sit gloria, & cæt.

Hymnus Græce, canticum Latine, & laus propriè Deorum dicitur. Inclitus, id est, nobilis vel gloriosus. Athleta, id est, pugnator. Nam Athlos Græce, prælium dicitur Latine. Solers, id est, prudens & callidus. Inde solerter, id est, prudenter. Incæstus, a, um, id est, impudicus, vel non castus. Inde incestus substantiuum, est impudicitia cum consanguinea commixta, vel cũ sanctimonialibus.

De omnibus sanctis.

IEsu saluator sæculi, redemptis ope subueni, & pia Dei genitrix salutem posce miseris. Cœtus omnes angelici, patriarcharum cunei, & prophetarum merita, nobis precentur veniã. Baptista Christi præuius, & clauiger æthereus, cum cæteris Apo-

stolis

ſtolis,nos ſoluant nexu criminis. Chorus ſacratus martyrum,ſacerdotum confeſsio: & virginalis caſtitas,nos à peccatis abluant.Monachorum ſuffragia, omnesq́ue ciues cælici, votis annuant ſupplicum,& vitæ poſcant præmium. Laus, honos, virtus, & cæt.

Cetus,ti,bellua marina. Cœtus,tus,congregatio. Cuneus,eſt inſtrumentum in vno fine groſſum,in altero accutum, quo ligna ſecantur. Ponitur pro multitudine,vt hic. Clauiger, hic accipitur pro eo qui clauem gerit,ſed Ouid. Accipit pro eo qui clauam gerit, id eſt,pro Hercule. Monachus,interpretatur ſolitarius, ſed Monachus,fuit proprium nomen cuiuſdam Centauri.

De ſancto Andrea. Iambicum dimetrum.

DEus ſacrati nominis, vitamq́ue nomen exprimens,hic te decorum prædicat crucis beatæ gloria.Andrea Chriſti Apoſtole, hoc ipſo iam vocabulo,ſignaris iſto nomine, decoris idem myſticè. Quem crux ad alta prouehit, crux quem beata diligit, cui crux amara præparat lucis futuræ gaudia.In te crucis myſterium,cluit gemello ſtigmate, dum probra vincis per crucem, cruciſque pandis ſanguinem.Iam nos foueto languidos, curamq́ue noſtri ſuſcipe,quò per crucis victoriam, cæli petamus patriam.

Andreas Hebraice,Latine interpretatur decorus, ergo nomen Andreæ vitam eius exprimit. Cluo,ſignificat fulgeo. Veteres antè pro pugnare capiebant,vt ait Plin. Stigma, Græce ſignificat ſignū vel punctum. Nam formatur à verbo ſtizo,quod pungo ſignificat.

¶De Apoſtolis.

De Apoſtolis.

EXultet cælum laudibus, reſultet terra gaudijs, Apoſtolorum gloria, ſacra canunt ſolennia. Vos ſæcli iuſti iudices, & vera mundi lumina, votis precamur cordium, audite preces ſupplicum. Qui cælum verbo clauditis, ſeras & eius ſoluitis, nos à peccatis omnibus ſoluite iuſſu quæſumus. Quorũ præcepto ſubditur ſalus & languor omnium, ſanate ægros moribus, nos reddẽtes virtutibus. Vt cùm iudex aduenerit Chriſtus in fine ſæculi, nos ſempiterni gaudij, faciat eſſe cõpotes. Laus, honor, & c.

Exulto & reſulto ſunt frequentatiua ab exilio & reſilio. Inde exultare, eſt frequenter, exilire. Reſultare, eſt frequenter reſilire.

¶ Ce vno Martyre. Iambicum.

MArtyr Dei, qui vnicum patris ſequẽdo filium, victis triumphas hoſtibus, victor fruens cæleſtibus. Tui precatus munere noſtrum reatum dilue, arcens mali contagium vitæ repellens tædium. Soluta ſunt iam vincula tui ſacrati corporis, nos ſolue vinclis ſæculi amore filij Dei. Deo patri ſit gloria, & cæt.

Martyr, græcum nomen eſt, ſignificans teſtem. Vnde facit genitiuum in is vel in os. accuſatiuum in em vel in a. Item accuſatiuum pluralem in es vel in as curtam. Luo, ſignificat ſoluo, vel etiam purgo. Inde compoſita eius eluo, diluo, abluo, colluo, ſignificant purgare. Arcere, eſt remouere. Inde arx dicitur caſtellum, quo hoſtes pelluntur à finibus.

¶ De pluribus Martyribus.
Simile.

Rex

REx glorioſe martyrum, corona confitentium, qui reſpuentes terrea, perducis ad cæleſtia. Aurem benignam protinus appone noſtris vocibus, trophæa ſacra pangimus, ignoſce quod deliquimus. Tu vincis in martyribus, parcendo confeſſoribus: tu vince noſtra crimina donando indulgentiam. Deo patri ſit gloria, & cæt.

Terreus, id eſt, de terra factus. Terreſtris verò, ad terram pertinens. Terrenus autem ſignificat vtrunque, ſed hic exigit metrum: vt legatur terrea, nõ terrena. Trophæũ proprie eſt ſignũ victoriæ, vt crux eſt trophæũ Chriſti, ſed abuſiuè capitur pro victoria.

¶De virginibus. Simile.

IEſu corona virginum, quem mater illa concipit, quæ ſola virgo parturit, hæc vota clemens accipit. Qui paſcis inter lilia, ſeptus choreis virginum, ſponſas decorans gloria, ſponſiſque reddens præmia. Quòcunq; pergis, virgines ſequuntur, atque laudibus poſt te canentes curſitant, hymnoſque dulces perſonant. Te deprecamur largius noſtris adauge ſenſibus, neſcire prorſus omnia corruptionis vulnera. Deo patri ſit gloria, & cæt.

Parturio, eſt verbum meditatiuum à pario factum, & proprie ſignificat cupio parere, ſed ponitur pro pario. Virg. Parturit almus ager. Hic eſt præteriti temporis. Paſcis, ponitur hic pro paſceris, vt aliqui volunt, ſed non eſt neceſſe: nam paſcere quandoque eſt tranſitiuum: vt paſce oues. Quandoque eſt abſolutum, vt oues paſcunt. Virg. Tytire paſcentes à flumine pelle capellas. Septus, id eſt, circundatus, à verbo ſepio.

¶Ad completorium. Dominica in paſsione.

Iambicum dimetrum, catalecticũ, anacreontiũ.

Cultor

CVltor Dei, memento te fontis & lauacri rorem subisse sanctum, te chrismate innouatum. Fac quum vocante somno castũ petis cubile, frontem locumque cordis crucis figura signet. Crux pellit omne crimen, fugiunt crucem tenebræ, tali dicata signo, mens fluctuare nescit. Procul ò procul vagantum portenta somniorum, procul esto peruicaci præstigiator astu. O tortuose serpens, qui mille per meandros, fraudesque flexuosas, agitas quieta corda. Discede. Christus hic est: hic Christus est, liquesce, signum quod ipse nosti, damnat tuam cateruam. Corpus licet fathiscens, iaceat recline paulum: Christũ tamen sub ipso meditabimur sopore. Gloria æterno patri & Christo vero regi, paracletoque sancto, & nunc & in perpetuum.

Subire, est adire, vt subijt Iesus in montem. Item in tertia persona subit, significat in mentem venit. Virgilius. Subijt deserta Creusa. Fluctuare, est moneri vel errare vel dubitare. Portentum, dicitur monstrum; id est, res inusitata vel horribilis, (significat aliquid tale. Peruicax, id est, pertinax & non. cessans. Præstigium, oculorum deceptio. Inde præstigiator, een gaycheler: Astus vel astu id est astutia, vel calliditas. Meander, est quidam fluuius in Asia, valde curuus, & ideo ponitur pro versura vel tortuositate. Fathisco. i. valde hisco vel fatigor. Et componitur à fatim, quod est valde, & hisco. Reclinis, id est, reclinatus vel inclinatus. Non autem legitur per v, recliuis, sed per n.

¶ Metrum iambicum archilochium, momocolon, pentastrophon, trimetrum.

O Nazarene dux Bethleem, verbũ patris, quem partus alui virginalis protulit, adesto castis

Christe

Chriſte parſimonijs, feſtumq́ue noſtrũ rex ſerenus aſpice,ieiuniorum dum litamus victimam.Nil hoc profectò purius myſterio , quo fibra cordis expiatur liuidi , intemperata quo domantur viſcera, à ruina putrem ne reſudans crapulam,obſtrangulatæ mentis ingenium premat.Sit trinitati in vnitate gloria,honor,poteſtas atque iubilatio,noſtra benignè cũ beneuolentia ieiuniorum acceptanti munera.

Nazarenus, dicitur aliquis de Nazareth,ſed Nazarius,dicitur domino conſecratus, qualis fuit Samſon. Litare, eſt hoſtijs propiciare vel placare. Ponitur abuſiuè pro offerre. Profectò, id eſt, certè,quia eſt aduerbium affirmandi. Liuidus, quandoque dicitur inuidus,quandoq́ue verò turpis vel niger, & fit à verbo liueo, quod eſt ſordeo. Putris,id eſt,putridus. vt putris gleba inquit Virg.

¶De ſancta cruce. Metrum ſicut pręcedens, ſed tetraſtrophon.

SAlue crux ſancta,ſalue mundi gloria, vera ſpes noſtra,vera ferens gaudia , ſignum ſalutis, ſalus in periculis,vitale lignum,vitam portans omnium. Te adorandum,te crucem viuificam,in te redempti dulce decus ſæculi ſemper laudamus ; ſemper tibi canimus,per lignum ſerui,per te ſumus liberi. Originale crimen necans in cruce, nos à priuatis Chriſte munda maculis , humanitatem miſeratus fragilem,per crucem ſanctam lapſis dona veniam. Protege,ſalua,benedic,ſanctifica populum cunctũ crucis per ſignaculum, morbos auerte corporis & animæ,hoc contra ſignum nullum ſtet periculum. Sit Deo patri laus in cruce filij, ſit coæqualis laus

ſancto ſpiritui, ciuibus ſummis gaudium ſit angelis, honor in mundo ſit crucis inuentio.

Vitalis, id eſt, viuificus vel vitam dans. Virgilius: Vitales auras carpit. Quandoque tamen idem eſt quod viuus. Horatius: O puer vt ſis vitalis metuo. Item vitalia dicuntur inteſtina animalis. Originale peccatum dicitur, quod habemus ex origine primi hominis, quod in baptiſmo per paſsionem Chriſti remittitur. Priuatus vno modo idem eſt quod ſpoliatus, & ſic regit ablatiuum, vt priuatus ſum pecunia. Altero modo, priuatus idem eſt quod proprius & non publicus, vt priuata res, priuata pecunia, ita capitur hoc hymno. Nam publicus & priuatus ſignificant contraria. Horatius: Publica priuatis ſecernere, ſacra profanis. Morbus corporis, eſt infirmitas, morbus animæ, eſt peccatum. Item à morbus ſit morboſus, id eſt, morbo plenus, & morbidus infirmus.

De ſancto Petro & Paulo Apoſtolis.

AVrea luce & decore roſeo, lux lucis omne perfudiſti ſæculum, decorans cælos inclyto martyrio, hac ſacra die quæ dat reis veniam. Ianitor cæli, doctor orbis pariter, iudices ſæcli, vera mundi lumina, per crucem alter, alter enſe triumphans, vitæ ſenatum laureati poſsident. Iam bone paſtor Petre clemens accipe vota precantum, & peccati vincula reſolue tibi poteſtate trādita, qua cunctis cælum verbo claudis, aperis Doctor egregie Paule, mores inſtrue, & mēte polum nos transferre ſatage, donec perfectū largiatur plenius, euacuato quod ex parte gerimus. Oliuæ binæ pietatis vnicæ, fide deuotos ſpe robuſtos maximè, fonte repletos charitatis geminæ, poſt mortem carnis impetratē viuere, Sit trinitati ſempiterna gloria, honor,

nor, poteſtas, atque iubilatio, in vnitate cui manet imperium, ex tunc & modo per æterna ſæcula. Amen.

Aureus, capitur hic pro ſplendidus. Etiam capitur pro precioſus. Philelphus: Virtus leuat aurea curis. Martyrium, ponitur pro paſsione, cum propriè ſit teſtimonium. Senatus eſt honor, vel multitudo ſenatorum, teutonice, den raet. Senator, eſt aliquis de ſenatu. Laurea, eſt corona de lauro, quia victores olim coronabantur laurea. Laureatus, id eſt, laurea corona coronatus. Transfero, traduco, traijcio, poſſunt regere duos accuſatiuos, vt traducam te fluuium, & cæt. Satago, id eſt, ſatis ago vel laboro, apud Terentiũ regit genitiuum. Is quoque ſuarum rerum ſatagit. Olea, eſt arbor olei. Oliua verò fructus olea: ſed ſæpius pro arbore ponitur. Oliuũ, idem eſt quod oleum. Impetrare, eſt efficere, aut laborare, aut acquirere. Eſt enim compoſitum à verbo patro, quod ſignificat faciot

¶Ad completorium. Metrum trochaicum, dicolon, hexaſtrophon. Eccleſia autem dedit ſeptimum verſum.

CORDE natus ex parentis, ante mundi exordium, alpha & ω cognominatus, ipſe fons & clauſula omnium quæ ſunt, fuerunt, quæq; poſt futura ſunt ſæculorum ſæculis. O beatus partus ille, virgo cũ puerpera edidit noſtrã ſalutem, fœta ſancto ſpiritu, & puer redemptor orbis os ſacratum protulit ſæculorum ſæculis. Pſallat altitudo cæli, pſallant omnes angeli: quicquid eſt virtutis vſquã, pſallat in laudem Dei, nulla linguarum ſileſcat, vox & omnes conſonet ſæculorum ſæculis. Ecce quem vates vetuſtis concinnebant ſæculis, quem prophetarum fideles paginæ ſpoſponderant, emicat promiſſus olim, cuncta collaudant eum ſæculorum ſæculis. Te ſenes & te iuuentus, paruulorum

te chorus,turba matrum virginumque, ſimplices puellulæ,voce concordes,pudicis perſtrepant concentibus ſæculorum ſæculis. Tibi Chriſte ſit cum patre,hagioque ſpiritu, hymnus,melos, laus perennis,gratiarum actio,honor,virtus, victoria, regnũ æternaliter,ſæculorum ſæculis.

Alpha,eſt prima litera Græcorum, & ponitur pro principio.Omega,id eſt, o magnum,eſt vltima litera Græcorum, ideo ponitur pro fine.Vnde in Apocalypſi.Ego ſum alpha & o, id eſt, principium & finis.Fœtus,a,um,id eſt,plenus aut fertilis. Virgil. Loca fœta furentibus auſtris. Fœtus,us,ui, eſt idem quod fructus. Pſallo,verbum Græcum, ſignificat cano fidibus vel inſtrumentis muſicis. Inde pſaltes,id eſt,fidicen vel organiſta. Pagina,eſt folium libri,& pro libro ponitur.Inde pagella,id eſt,parua pagina. Iuuentus,eſt multitudo iuuenum,ſed interdum ponitur pro ætate iuuenili,quæ iuuenta dicitur.Hagius,id eſt ſanctus,& eſt nomen Græcum,vt habitum eſt ſupra circa primum hymnum. Melos Græcè, dicitur cantus latinè,vel ſuauitas vocis.

¶In paraſceue.

Simile metrum,ſed eſt hexaſtrophon tantum.

CRux fidelis, inter omnes arbor vna nobilis: nulla ſylua talem profert fronde,flore,germine: dulce lignum, dulces clauos,dulce pondus ſuſtinet.Pange lingua glorioſi prælium certaminis,& ſuper crucis trophæum dic triumphum nobilem, qualiter redemptor orbis immolatus vicerit. De parentis protoplaſti fraude factor condolens, quando pomi noxialis morſu in mortem corruit,ipſe lignum nunc notauit, damna ligni vt ſolueret. Hoc opus noſtrę ſalutis ordo depopoſcerat, multiformis proditoris ars vt artem falleret, & medelam

ferret

ferret inde,hoſtis vnde læſerat. Qnando venit ergo ſacri plenitudo temporis, miſſus eſt ab arce patris natus orbis conditor,atque ventre virginali homo factus prodijt. Vagit infans inter arcta poſitus præſepia,membra pannis inuoluta virgo mater alligat, & pedes manus & crura ſtricta cingit faſcia. Luſtra ſex qui iam peracta, tempus implens corporis, ſe volente natus ad hoc, paſsioni deditus, agnus in cruce leuatur,immolandus ſtipite. Hinc acetum, fel,arundo,ſputa,clauis, lancea, mite corpus perforatur,ſanguis vnda profluit, terra, pontus, aſtra, mundus,quo lauantur flumine. Flecte ramos arbor alta,tenſa laxa viſcera, & rigor lenteſcat ille, quem dedit natiuitas, & ſuperni mēbra regis mite tendas ſtipite. Sola digna tu fuiſti ferre precium ſæculi atque portum præparare nauta modo naufrago,quem ſacer cruor perunxit fuſus agni corpore. Gloria honorque Deo vſquequo altiſsimo, vna patri filioque,cum inclyto paracleto, cui laus eſt & poteſtas per æterna ſæcula.

Paraſceue,græcum nomen, Latinè interpretatur præparatio,quo nomine apud Iudæos vocatur omnis feria ſexta. Prælium, id eſt,pugna,ſed prælum teutonicè,een preſſe. De trophæo & triumpho dictum eſt ſuperius. Protos græce primus plaſtos formatus. Inde protoplaſtus,id eſt, primo formatus vel primus homo. Pomum, eſt quicunque fructus arboreus. Noxialis,id eſt,noxius vel nocēs. Inde,id eſt,de hoc vnde,id eſt,de quo: Item quandoque inde ſignificat propter hoc. Vagire,eſt plorare, ſed tantum de pueris dicitur. faſcia,eſt vinculum molle, præcipue quo ligantur infantes in cunis: Inde faſciola,id eſt,parua faſcia. Luſtrum,eſt tempus quinque annorum. Etiam eſt latibulum ferarum. Item locus meretricum. Pontus dicitur mare,à græco verbo pontiſſo,quod eſt mergo. Sed

proprie pontus est vna pars maris iuxta Thraciam. Rigor, id est, duritia: Lentus, id est, mollis vel flexibilis. Inde lentesco, fio lentus, Ouidius. Lentescunt tempore curæ. Naufragus, qui Naufragium passus est. Ouidius. Naufragus ille semel ventos exhorret et vndas. Vsquequo, quandoque significat quam diu, vt ibi. Sed tu domine vsquequo. Quandoque significat semper, vt hic.

¶De venerabili sacramento.
Rhythmus.

PAnge lingua gloriosi corporis mysterium sanguinisque pretiosi, quem in mundi precium, fructus ventris generosi, rex effudit gentiũ. Nobis natus, nobis datus ex intacta virgine, & in mundo conuersatus, sparso verbi semine: sui moras incolatus miro clausit ordine. In supremę nocte cœnę recumbens cum fratribus obseruata lege plenè cibis in legalibus, cibum turbę duodenæ sedat suis manibus. Verbum caro, panem verum verbo carnem efficit, sitque sanguis Christi merum, & si sensus deficit, ad firmandum cor syncerum sola fides sufficit. Tantum ergo sacramentum, veneremur cernui: & antiquum documentum nouo cedat ritui, præstet fides supplementum sensuũ defectui. Genitori genitoq; laus & iubilatio, salus, honor, virtus quoq; sit & benedictio, procedenti ab vtroque compar sit laudatio.

Pangere, propriè significat ponere. Inde compingo, id est, compono. Impingo, id est, impono vel impello. Ponitur pro canere, vt hoc loco. Incolere, est inhabitare. Incola est inhabitator. Alienus, peregrinus. Incolatus, peregrinatio. Supremus, quandoque altissimus

mus dicitur, quandoque intimus. Merus, a, um, id est, clarus, & nō mixtus. Ouidius: Haud aliter titubat, quam si mera vina bibisset. Merum, substantiuè significat vinum. Sacramentum, vt aīt Augustinus lib. doct. Christi, est inuisibilis gratiæ visibilis forma. Vel sacramentum est sacræ rei signum. Septem sunt sacramenta, scilicet: baptismus, confirmatio, matrimonium, pœnitentia, eucharistia, ordo & vnctio.

De sancta Catharina virgine.
Rhythmus.

Catharinæ collaudemus virtutum insignia, cordis ei præsentemus & oris obsequia, vt spe certa respiremus per eius suffragia. Fulta fide Catharina, iudicem Maxentium non formidat, lex diuina sic firmat eloquium, quod confutat ex doctrina doctores gentilium. Victi Christum confitentur relictis erroribus, iubet iudex vt crementur: nec pilis, nec vestibus nocet ignis, sed torrentur, inustis corporibus. Velut aurum quod probauit fornacis adustio: nam quos Christus conseruauit foris ab incendio, coxit intus & purgauit fides, & confessio. Porrò blandis rex molitur virginem seducere, nec promissis emolitur, nec terretur verbere, compeditur, custoditur, tetro clausa carcere. Hic rex furit & tabescit, nec intra cor capitur, quod nox ibi noctem nescit, nox in diē vertitur: soli turba multa crescit, ieiuna reficitur, clausæ lumen ne claudatur, elucet Porphyrio, qui reginæ fœderatur fidei collegio, quorum fidem imitatur ducentena concio. Huius ergò concionis concordi

constantia, vim humanę paſsionis, pari patientia ſuperemus, vt cum bonis lætemur in gloria.

Inſignis, dicitur electus & præcellens in bono vel in malo. Inſigne ſubſtantiue, eſt notabile ſignum. Inde inſignire, id eſt, facere inſignem. Spirare, eſt ſlare. Reſpirare, eſt quieſcere. Fulcire, eſt ſuſtentare. Virg. Atlantis duri cælum, qui vertice fulſit. Fultus, id eſt, ſuſtentatus aut fortificatus. Confutare, eſt os alteri claudere, vel oſtendere alterum errare. Terent. Phormio confutauit verbis admodum iratum patrem. Inuſtus, hic ſignificat non vſtus. Aliàs ſignificat per aduſtionem ignitus, teutonice, inghebrant. Porrò multa ſignificat, ſcilicet, anteà, poſteà, longè, certè, vltrà. Emollire, eſt facere molle. Tabeſcere, tabe conſumi. Solus, hic accipitur pro Deo, quia ipſe ſolus eſt bonus, ſolus eſt dominus, ſolus eſt altiſsimus. Soli, id eſt, Catharinæ in carcere, ſupple creſcit turba, quia Chriſtus & angeli. Collegium, eſt collectio, præcipue hominum in aliqua dignitate, vt collegium ſacerdotum, id eſt, canonia. Item collegiata eccleſia dicitur, vbi ſunt canonici.

¶De ſancto Stephano.

Sancte Dei pretioſe protomartyr Stephane, qui virtute charitatis circunfultus vndique, dominū pro inimico exoraſti populo. Funde preces pro deuoto tibi nunc collegio, vt tuo propitiatus interuentu dominus, nos purgatos à peccatis, iungat cæli ciuibus. Gloria & honor Deo vſquequo altiſsimo, vnà patri filioque & inclyto paracleto, cui honor & poteſtas per æterna ſæcula. Amen.

Stephanus Græce, Latine corona dicitur. Protomartyr, primus martyr. Exorare, orando impetrare. Terent. Sine vt te exorē. Vſquequo, hic ſignificat ſemper, vt ſuperius dictum eſt.

¶In dedicatione eccleſiæ.

VRbs beata Ieruſalē, dicta pacis viſio, quæ conſtruitur in cælis viuis ex lapidibus, & angelis coronata

coronata,vt ſponſata comite. Noua veniens è cælo,nuptiali thalamo præparata, vt ſponſata copuletur domino,platea & muri eius ex auro puriſsimo.Portæ nitent margaritis adytis patentibus, & virtute meritorũ illuc introducitur omnis, qui ob Chriſti nomen hoc in mundo premitur. Tonſionibus,preſſuris expoliti lapides,ſuis adaptãtur locis, per manus artificis diſponuntur, permanſuri ſacris ædificijs. Angulare fundamentum, lapis Chriſtus miſſus eſt,qui compage parietum in vtroque nectitur,quem Sion ſancta ſuſcepit, in quo credens permanet. Omnis illa Deo ſacra & dilecta ciuitas, plena modulis & laude,& canore iubilo, trinum Deum vnicumque cum fauore prædicat. Hoc in templo ſumme Deus exoratus aduehi, & clementi bonitate precum vota ſuſcipe, largam benedictionem hic infunde iugiter. Hic promereantur omnes petita accipere,& adepta poſsidere cum ſanctis perenniter,paradiſum introire translati in requiem, Gloria,& cæt.

Ieruſalem,interpretatur viſio pacis, quæ vrbs primo dicebatur Salem,deinde Iebuſalem & Ieruſalem, quia Iebuſai in ea habitabant ante Iudæos.Videtur melius legendum, deſponſata comiter: quia comiter ſignificat benigne & hilariter.Ouid.Comiter accipitur ſanguine iunctus erat.Margarita,eſt lapis pretioſus, qui vulgo peerle dicitur.Adytum, eſt locus ſecretior in templo vbi ſacra collocata ſunt. Polio,is,ire,*eſt ornare.Inde expolire,exornare. Item politus,id eſt,ornatus.* Perſius: Pelliculam veterem retinens *ex fronte politus.Compages vel compago,media producta,idem eſt quod compactio vel coniunctio.Iuuencus: Immortale nihil mundi compage tenetur.Canorus,plenus canore, canor enim dicitur cantus,à quo fit canorus,ſicut à decor decorus,à ſonus ſonorus.Adue-*

ui, subueni. & cætera. Vno modo sunt præterita perfecta indicatiui modi, & sic producunt mediam. Alio modo sunt præsentis temporis imperatiui modi, & sic corripiunt mediam, vt hic Paradisos græcè, dicitur hortus latinè, est enim locus amœnißimus.

De Annunciatione Mariæ.

AVe maris stella, Dei mater alma atque semper virgo, felix cæli porta. Sumens illud aue Gabrielis ore, funda nos in pace mutans nomen Euæ. Solue vincla reis profer lumen cæcis, mala nostra pelle, bona cuncta posce. Monstra te esse matrem, sumat per te precem, qui pro nobis natus tulit esse tuus. Virgo singularis, inter omnes mitis, nos culpis solutos, mites fac & castos. Vitam præsta puram, iter para tutum, vt videntes Iesum semper collætemur. Sit laus Deo patri summo Christo decus, spiritui sancto, trinus honor vnus. Amen.

Maria, Hebraicè interpretatur stella maris. Stella maris dicitur, quæ dirigit in mari nauigantes. & à poëtis dicitur arctos vel vrsa circa polum arcticum. Nomen Eua, si literæ conuertantur fit aue: igitur angelus ad Mariam dicens aue, ostendit quod ipsa saluaret quod Eua damnauerat. Ordo & sensus est. Qui tulit, id est, voluit esse tuus natus, id est, filius, pro nobis, id est, propter nostram salutem Mitis, id est, clemens, placidus et mansuetus. Mitesco, id est, mitis fio. Hor. Nemo adeò ferus est, vt non mitescere posit.

¶ De purificatione beatæ Mariæ virginis. Metrum sapphicum & adonium.

QVod chorus vatum venerandus olim, spiritu sancto cecinit repletus, in die factum genitrice constat esse Maria. Hæc Deũ cæli, dominum-

que terræ,virgo concepit,peperitque virgo,atque post partum meruit manere inuiolata. Quem senex iustus Simeon in vlnas in domo sumpsit Domini gauisus, ob quod optatum proprio videret lumine Christum. Tu libens votis (petimus) precantum,regis æterni genitrix faueto clarat quæ celsis retinens olympi, regna petisti.Sit Deo nostro decus & potestas, sit salus perpes,sit honor perennis, qui poli summa residens tn arce,trinus & vnus. Amen.

Metrum sapphicum habet quinque pedes,quorum primus est trochæus,secundus spondeus, tertius dactylus, quartus trochæus, quintus spondeus vel trochæus. Adonium carmen est,dimetrum, constans dactylo & spondeo vel trochæo,vt esse Maria. Chorus, est congregatio lætantium,& corripit primam. Sed Corus sine h, est ventus inter boream & occidentem,& hoc producit primam.Violare,est vim facere.Virg. Nam quicunque tuum violarit vulnere corpus.Morte luet merita. Igitur inuiolata dicitur,cui non est vis illata,id est,virgo. Vlna,est vtriusque manus extensio, quandoque etiam capitur pro mēsura cubiti,teut.een elle. Renitens media correpta,significat refulgens, à verbo reniteo. Renitens media producta, est particip.à verbo nitor. A niteo renitens,à nitor dico renitens. Perpes,id est,perennis,idem sunt quod perpetuus. Vnde versus. Perpes, perpetuus, sitque perennis idem. Intra pascha & Pentecosten.

¶Sapphicum vt supra.

VIta sanctorum decus angelorum, vita cunctorum pariter piorum Christe, qui mortis moriens ministrum exuperasti.Tu tuo eltos famulos trophæo,nunc in his serua placidis diebus,in quibus sanctum

ſanctum celebratur omnem paſcha per orbem. Paſcha quo victor rediens ab imo, atque cum multis alijs reſurgens ipſe, ſuſceptam ſuper alta carnem aſtra leuaſti. Nunc in excelſis dominus refulgens, & ſupra cælos Deus eleuatus, inde venturus homo iudicatus, denuo iudex. Corda tu ſurſum modò noſtra tolle, quo patri dexter reſidens in alto, ne reſurgentes facias in imo præcipitari. Hoc pater tecum ſimul & ſacratus præſtet amborum pie Chriſte flatus, cum quibus regnas Deus vnus omni iugiter æuo.

Regula orthographiæ. Quando verbum cuius prima litera eſt, ſ. componitur cum præpoſitione ex, tunc ſ. deponitur, vt à ſurgo fit exurgo, à ſupero exupero, à ſcribo fit exſcribo, à ſalio exilio, &c. Paſcha quidem faciunt à græco verbo paſcho, quod ſignificat patior, alij formant ab Hebraico nomine phaſe, quod eſt tranſitus. Imus, id eſt, profundus, decliuus, vel infimus. Seneca. Ima permutat breuis hora ſummis. Denuo, *id eſt, iterum, quaſi de nouo.* Plau*tus: Dixi equidem, ſed ſi parum intellexiſti dicam denuo. Præceps, dicitur per caput deorſum cadens præcipitare. i. deijcere vel facere præcipitem. Flatus. i. flatio, een blaſinge. Etiam eſt ſpiritus, vt in hoc loco. Æuum, eſt idem quod ætas vel ſæculum, vel tempus.*

De ſancto Ioanne Bcptiſta.

Simile genus.

VT queant laxis reſonare fibris mira geſtorum famuli tuorum, ſolue polluti labij reatum ſancte Ioannes. Nuncius celſo veniens Olympo, te patri magnum fore naſciturum, nomeu & vitæ ſeriē gerendæ ordine promit. Ille promiſsi dubius ſuperni, perdidit promptæ modulos loquelæ, ſed reformaſti genitus peremptæ organa vocis. Ventris

obtruſo

obtruſo poſitus cubili,ſenſeras regem thalamo manentem hinc parens nati meritis vterque abdita pandit. Antra deſerti teneris ſub annis,ciuium turmas fugiens petiſti, ne leui ſaltem maculare vitam famine poſſes. Præbuit hircum tegimen camelus, artibus ſacris ſtrophium bidentes,cui latex hauſtũ, ſociata paſtum mella locuſtis.Cæteri tantum cecinere vatum corde pręſago iubar affuturum,tu quidem mundi ſcelus auferentem indice prodis. Non fuit faſti ſpatium per orbis ſanctior quiſquam genitus Ioanne, qui nefas ſæcli meruit lauantem tingere lymphis.Gloriam patri reſonemus omnes, & tibi Chriſte genite ô ſuperni, cum quibus ſimul & beatus ſpiritus extat. Amen.

Laxus, id eſt, diſſolutus. Inde laxare, id eſt diſſoluere: Fiber, eſt animal quod & caſtor dicitur. Sed fibra, eſt parua vena, non ſolũ in animalibus ſed etiam in herbis. Virg. Et amaris intyba fibris. Olympus, eſt mons altiſsimus in græcia inter Macedoniam & Theſſaliam. Ponitur pro cælo. Nam olympus dicitur quaſi olos totus, & lampon fulgens. Series, eſt connexio vel ordo. Perimo, à per et emo, ſignificat occido. Inde peremptus, id eſt, occiſus. Organum, græce ſignificat, latine inſtrumentum. Nos autem mutamus on in um, vt in aliis multis. Obtruſus, id eſt, obſcurus vel ſecretus, à verbo obtrudo, quod eſt à trudo compoſitum. Abdere, id eſt, quaſi ab aliis dare vel ſeparare. Inde abditus, id eſt, ſeparatus vel ſecretus. Antrum, eſt ſpecus vel foramen in terra. Virg. Nam qualis quantusq́; cauo Polyphemus in antro. Famen, eſt locutio, & fit à for faris. Hirtus, piloſus, aſper, hirſutus. A verbo tego fit tegimen, ſicut à rego regimen. Etiam dicitur tegmen. Virg. Tytere tu patulæ recubans ſub tegmine fagi. Strophiũ, eſt faſcia pectoralis, teut. een borſtlap. hic accipitur pro indumento. Bidens fœmin. generis, dicitur ouis, ſed maſc. generis, eſt inſtrumentum ruſticum duobus dentibus. Latex, dicitur aqua. Interdum pro vino ponitur. Virg. Dixit & immenſa laticum libauit honorem. Præſagus, id eſt, prouidus. Virg. Agnouit

longe

longe gemitum præsaga mali mens. Inde præsagium, id est, prouidentia vel præscientia. Item præsagire, id est præuidere mente. Vastus, id est amplus & valde magnus. Vastare, facere vastum vel destruere. Tingere non significat colorare sed immergere. Virgilius. Alij stridentia tingunt æra lacu.

¶Ad completorium. Simile genus.

PRæco præclarus, sacer & propheta, regis æterni paranymphus almi, voxque clamantis domino potenter, dirige callē. Qui redemptorē digito notasti rite tollentē scelus omne mūdi intimans agnum pietate cunctum soluere mundum. Angelus cum tu vocitaris alti, iura formantem rogita tonantem, quatenus sanctis sociemur astris, arce polorū. Hocque tu præsta genitor superne, nate supremi dator ac redemptor spiritus, rector tribue precamur omne per æuum.

Præco, qui nomine alterius aliquid proclamat faciendum vel emendum. Nymphos Græce sponsus dicitur. Inde paranymphus, id est, qui iuxta sponsum est, sicut pronuba, mulier quæ iuxta sponsam est. Intimare, est indicare vel significare à nomine intimus. Tonans substantiue, pro Deo sæpe ponitur, vt apud Senecam. Soror tonantis. Quatenus significat in quantum, vel vt Seruius ait quousque. Quatinus verò significat quoniam. Iuuen. Quatenus hic non sunt & venales elephanti. Primum est aduerbium, secundum coniunctio. Vulgus accipit quatenus pro vt, sicut hoc loco etiam.

¶De sancto Michaële. Simile genus.

CHriste sanctorū decus angelorum, author humani generisque rector, nobis æternū tribuas benignus scandere cælum. Angelum pacis Michaël ad istam cælitus mitte rogitamus aulam, nobis vt crebro veniente crescāt prospera cuncta. Angelus fortis Gabriel vt hostem pellat antiquum, volitetq;

ab alto, sępius templũ veniẽs ad istud visere nostrũ. Angelũ nobis medicũ salutis mitte de cęlis Raphaël, vt oẽs sanet ægrotos, pariterq; nostros dirigat actus. Hinc Dei nostri genitrix Maria, totus & nobis chorus angelorum semper assistat, simul & beata concio tota. Præstet hoc nobis Deitas beata patris ac nati pariterq; sancti spiritus, cuius reboat in omni gloria mundo. Amen.

Decus, dicitur id quod decet. i. honestas. Pli. Decus est mortali iuuare mortalẽ. Hinc dedecet. i. nõ decet. Author, est idẽ quod factor aut principalis caussa efficiens. Michaël, interpretatur, quis vt Deus, quo nomine denotatur eius maiestas. Gabriel, interpretatur fortitudo Dei. Raphaël, medicina Dei. Aula, est domus principis. Veteres etiã ponebãt aulã pro olla, vt apud Plautũ in Amph. Optimo iure infringatur aula cineris in caput. Creber. i. continuus. Inde aduerbiũ crebro. i. cõtinuo vel sæpe. Visere. idẽ est quod visitare. Nota, quod angelorũ nomina, quia Barbara. i. hebræa sunt, ponuntur hic indeclinabiliter. Boare, clamare, sicut bos, inde reboo, id est, reclamo. Virg. Reboant syluæq; & magnus olympus.

¶De confessoribus. Simile genus.

Iste confessor dñi sacratus, festa plebs cuius, celebrat per orbẽ, hoc die lętus meruit secreta scandere cæli. Qui pius, prudẽs, humilis, pudicus, sobrius, castus fuit & quietus, vita dũ præsẽs vegetauit eius corporis artus. Ad sacrũ cuius tumulũ frequenter mẽbra languentũ modo sanitati, quolibet morbo fuerint grauata, restituuntur. Vnde nunc noster chorus in honore ipsius hymnũ canit hũc libenter, vt pijs eius meritis iuuemur omne per æuũ. Sit salus illi, decus atq; virtus, qui supra cæli residens cacumẽ, totius mũdi machinã gubernat trinus et vn9.

Confessor, dicitur aliquis sanctus, qui nõ est martyr. Pius, id est, sanctus religiosus vel colens Deum. Nam pietas secundum Lactantium est cultus Dei. Vegetus, media correpta id est, fortis

Vege-

Vegetare, est facere vegetum. Pruden. Vnde peretratis veget at præcordia membris. Tumulus, est sepulchrum. Inde tumulare, sæpe tamen tumulus accipitur pro colle. Vndę quandoq; significat de quo, vel de qua re. vt Vnde tibi pecunia? Etiam significat quare vel quapropter, vt hic. Cacumen, dicitur altitudo. Inde cacuminare, id est, exaltare.

¶ In vigila Paschæ. Metrum asclepiachoriam.

INuentor rutuli dux bone luminis, qui certis vicibus tempora diuidis, merso sole, chaos ingruit horridũ, lumẽ redde tuis Christe fidelibus. Quamuis in numero sydere regiam, lunarique polũ lampade pinxeris, incussu silicis lumina nos tamẽ monstras saxigeno semine quęrere. Ne nesciret homo spem sibi luminis in Christi solido corpore conditam, qui dici stabilem se voluit petram, nostris igniculis vnde genus venit. Pinguis quos olei rore madentibus lychnis, ac facibus pascimus aridis: quin & fila fauis sirpea floreis, presso melle prius, collita fingimus. Viuax flamma viget, seu caua testula fuccum linteolo suggerit ebrio, seu pinus piceam fert alimoniam, seu ceram teretem stuppa calens bibit. Splendent ergo tuis muneribus pater flammis mobilibus scilicet atria, absentemque diem lux agit æmula, quam nox cum lacero victa fugit peplo. Per quem splendor, honor, laus, sapientia, maiestas, bonitas, & pietas tua regnum continuat numine triplici, texens perpetuis sæcula sęculis.

De

De qualitate huius carminis, vide ad hymnum sequentem. Rutilis, id est, rubens & ardens. Inde rutilare, id est, ardere vel splendere: vt ignis. Virgilius. Per sudem rutilare vident. Ingruo, id est, incido vel insto. Virg. Ingruit AEneas armis. Innumerus, id est innumerabilis. Et ponitur hic numerus singularis, pro plurali, diciturque innumero sydere, pro innumeris syderibus. Regia, est domus vel palatium regis. Lampas, est idem quod splendor aut fax. Saxigenus, a, um, id est, de saxo genitus. Ita taurigenus, caprigenus, alienigenus inueniuntur. Solidus, integer dicitur. Lychnus Graece, Latinè est lucerna. Virg. Pendent lychni laquearibus aureis. Sed vsurpat pro illo quod ardet in lampade, quod proprie dicitur elychnium. Fauus. est mel non expressum. Fingere, est formare. Sirpus, est iuncus. Inde adiectiuum sirpeus, id est, de sirpo factus. Collitus, media breui, linitus, & fit à lino. Testula, id est, parua testa, & significat lampadem. Linteolum, id est, paruum linteum, teut. snutdoeck. Stuppa, est grossiria lini, werck, lemet, oft hede, scilicet quod est intra candelam. AEmulus, dicitur imitator, quandoque etiam est inuidus. Nox fingitur peplum circundare. Sed peplum lacerum, per cuius foramina stellae videntur. Maiestas, est magnitudo, et venit à maior. Continuare, est facere continuum. Numen, est Deitas, vel Deus ipse.

¶In ascensione Domini.

Metrum dicolon, tetrastrophon, choriambico asclepiadeo constans, adiuncto glyconico.

FEstum nunc celebre magnaq; gaudia, compellunt animos carmina promere, cum Christus solium scandit ad arduum, caelorum pius arbiter. Conscendit iubilans laetus ad aethera, sanctorum populus praedicat inclytum, concinit pariter angelicus chorus victoris boni gloriam. Qui scandens superos, vincula vinxerat, donans terrigenis munera plurima, districtus rediet arbiter omnium, qui mitis modo transijt. Oramus domine, conditor inclyte, deuotos famulos respice, protege, ne nos li-

uor edax dæmonis obruat, demergat vel ad inferos. Vt cum flammiuoma nube reuerteris, occulta hominum pandere iudicans: ne des supplicia horrida noxijs, sed iustis bona præmia. Præsta hoc genitor optime maxime, & tu nate Dei & bone spiritus, regnans perpetuo fulgida trinitas, per cuncta pie sæcula.

Choriambcus, dicitur pes metricus, constans quatuor syllabis, quarum prima & vltima sunt longæ, & duæ mediæ sunt breues, vt in hoc nomine omnipotens. Igitur hoc carmen habet quatuor pedes, quorum primus est spondæus, secundus & tertius sunt choriambi, quartus est iambus, vel pyrrichius, qui constat duabus syllabis breuibus. Item quartus quisque versiculus dicitur glyconicus ab authore, habet tantum vnum choriambum, in alijs priori similis. Arbiter, est iudex à patribus electus. Superi, dicuntur cœlestes qui sunt supra. Dicitur etiam superus, a, um, id est, supernus. Virg. Superi regnator olympi. Item superum mare. Districtus. i. seuerus, durus & vehemens, quasi solitus distringere, id est, premere & ligare malos. Deuotus, id est, deditus, vel qui se deuouit. i. promisit aut Deo aut alteri. Liuor edax, id est, inuidia consumens. Luca. Liuor edax tibi cuncta negat. Edax, ab edo, es, est, vt edax vir, id est, multum comedens. Flammiuoma quasi vomēs flammam, vt igniuomus, id est, vomens ignem,

De sancto Martino episcopo. Metrum sicut inuentor rutili.

FRatres vnanimes fœdere nexili, mecum participes luminis annui, quo solis hodie fulminat orbita, Martini reuehens festa celebria. Cantemus pariter carmen amabile. Martini meritis oppido nobili, clerus cum populo consonet organo, grandi nam volupe est psallere gaudio. Martinus quoniam

niam vota fidelium attendit, tribuens cuncta salubria, confert hic famulis rite canentibus, stellis aureola serta micantibus. Cunctis candelabrum luminis extitit, à multis tenebras mortis & expulit, virtutum statuit crescere germina, in quorum fuerant pectore crimina. His nos subsidijs vndique præditi, pangamus proprio cantica præsuli, laudemus parili voce quod approbat, damnemus vigili mente quod improbat. Martinum precibus gens modo Gallica dignis solicitet, nostraque patria. Martinus faciat tempora prospera, mundi Christe salus ô tibi gloria. Amen.

Omnia nomina in ilis quæ formantur ab vltimo supino, significant paßiue, vt nexilis, id est, nexus, futilis, id est, futus, tortilis, id est, tortus, fictilis, id est, fictus, sculptilis, id est, sculptus. Oppido, est hic aduerbium, significans valde, & sæpe legitur, non solum apud poëtas, sed etiam in sacris literis. quod autem vulgus ait oppidò aduerbium producere penultimam, id falsum est. Si autem velis oppido nomen esse, versus, non valet. Clerus est congregacio clericorum. Volupe, significat iucundum. Plaut. Quia vos tranquillos video, gaudeo & volupe est mihi. Idem: Facite vestro animo volupe. Aureolus, est diminutiuum ab aureus, & est adiectiuum sicut aureus, & idem significat. Quandoque tamen substantiuatur in fœminino genere. Sertum, est corona, precipue de floribus conserta, id est, compòsita. Subsidium, id est, auxilium postea missum, nam quod ante necessitatem datur, præsidium dicitur. Approbo, comprobo significant laudo. Improbo & reprobo significant vitupero. Inde improbus, id est, malus & vituperabilis. Sollicitare, est facere sollicitum vel commouere.

De assumptione beatæ Mariæ.

Metrum alcmanicum dactylicum tetrametrum, hypercatalecticum.

O Quam glorifica luce coruſcas,ſtirpis Dauidicę regia proles,ſublimis reſidens virgo Maria ſupra cæligenas ætheris omnes. Tu cūm virgineo mater honore,cælorum domino pectoris aulā ſacris viſceribus caſta paraſti , natus hinc Deus eſt corpore Chriſtus. Quem cunctus venerans orbis adorat, cui nunc rite genu flectitur omne,à quo nos petimus te veniente abiectis tenebris gaudia lucis.Hoc largire pater luminis author, natum per proprium flamine ſacro, qui tecum nitida viuit in æthra,regnans ac moderans ſæcula cuncta.

Hoc carmen dicitur alcmanicum,quia Alcman poëta inuenit.Dicitur hypercalecticum, id eſt ſuperabundans, quia poſt duos pedes adijcitur in ſcandendo ſyllaba ſic:O quam glorifica luce coruſcas.Coruſcus,id eſt ſplendididus. Inde coruſcare, id eſt, ſplendere. Sublimis,id eſt,altus .Inde ſublimitas,id eſt, altitudo.Item ſublimare,id eſt, exaltare.Rite,id eſt, recte vel bene ſecundum ritum. Nam ritus,eſt idem quod mos. Aethra, eſt ſplendor ætheris.Virg. Nec lucidus æthra ſiderea polus. AEther,eſt ſummum firmamentū, quod etiam ignis vocatur & pro cælo ponitur.

In die Palmarum. Metrum elegiacum.

GLoria, laus, & honor, tibi ſit rex Chriſte redemptor: Cui puerile decus prompſit oſanna pium.Iſraël tu rex Dauidis & inclyta proles, Nomine qui in domini rex benedicte venis. Cœtus in excelſis te laudat cęlitus omnis:Et mortalis homo, cuncta creata ſimul.Plebs Hebræa tibi cum palmis obuia venit.Cum prece voto,hymnis aſſumes ecce tibi.Hi tibi paſſuro ſoluebant munia laudis: Nos

tibi regnanti pangimus ecce melos. Hi placuere tibi, placeat deuotio nostra: Rex pie, rex clemens, cui bona cuncta placēt. Fecerat Hebræos hos gloria sanguinis alti: Nos facit Hebræos, transitus ecce pius.

Osanna, licet hic & alibi quandoque ponatur pro nomine, tamen proprie est oratio Hebraica, significans ô domine, saluum me fac. Israël nomen patriarchæ Iudæorum, qui & Iacob dictus est, sed vtrumque nomen sæpe ponitur pro populo Iudaico, id est, pro filiis aut posteris Israël. Hebræi, vocantur Iudæi, vel ab Heber quodam vetulo viro, vel quia transierunt rubrū mare. Nam Hebræus interpretatur transiens. Palma est quædam species arboris, ponitur pro victoria & pro manu. Munia plurali numero tantum, sicut officia. Iudæi inquam dicti sunt Hebræi, sua parentela. Nos etiam sumus Hebræi cùm transimus de vitijs ad virtutes, vel de virtute ad virtutem.

In die Paschæ.

Lactantij Firmiani metrum elegiacum.

SAlue festa dies, toto venerabilis æuo, Qua Deus infernum vicit et astra tenet. Tempora florigero rutilant distincta sereno. Et maiore poli lumine porta patet. Altius igniuomum solem cæli orbita ducit. Qui vagus Oceanus exit & intrat aquas. Armatus radijs, elementa liquentia lustrans. Hac in nocte breui tendit in orbe diem. Splēdida syncero producunt æthera vultu. Lætitiamque suam sydera clara probant. Terra ferax vario fundit munuscula cultu. Cum bene vernarit, reddit & annus opes. Mollia purpureum pingunt violaria campum. Prata virent herbis, & micat herba comis. Paulatim subeunt stellantia lumina florum. Floribus arrident

gramina cuncta suis. Semine deposito late seges exilit aruis,Spondens agricolæ vincere posse famē. Caudice desecto,lachrymat sua gaudia palmes. Vnde merum tribuat,dat modo vitis aquam. Cortice de matris tenera lanugine surgens.Præparat ad partum turgida gemma sinum. Subq; hyemis tempus foliorum crine refuso.Iam reparat viridãs frondea tecta nemus.Myrrha,salix, abies, corylus, siler, vlmus,acer, nux. Plaudit quæque suis arbor amœna comis.Constructura fauos apis hic aluearia liquēs. Floribus instrepitans poplite mella rapit. Ad cantus reuocatur auis,quæ carmine clauso.Pigrior hiberno frigore muta fuit. Hinc philomela suis attēperat organa cannis . Fitque repercusso dulcior aura melo. Ecce renascentis testatur gratia mundi. Omnia cū domino dona redisse suo. Nanq; triumphanti post tristitia tartara Christo.Vndique fronde nemus, gramina flore fauent. Legibus inferni oppresśis, supra astra meantem. Laudant rite Deum lux, polus, arua, fretum. Qui crucifixus erat Deus, ecce per omnia regnat.Dantque creatori cuncta creata precem. Mobilitas anni, mensum lux alma dierum. Horarum splendor, stridula cuncta fauent. Hinc tibi sylua comis, plaudit quoque campus aristis. Hinc grates tacito palmite vitis agit. Hinc tibi nunc auium resonant virgulta susurro.Has inter nimio passer amore canit. Christe salus rerum, bone conditor atque redemptor.

Vnica progenies ex Deitate patris. Irrecitab ilite manas de corde parentis. Verbum subsistens et patris ore potens. AEqualis, concors, socius, cum patre coæuus. Quo sumpsit mundus principe principium. AEthera suspendis, sola cōgeris, æquora fundis. Quæque locis habitant, quæ moderata vigent. Qui genus humanum cernens mersisse profundo. Vtque hominem eriperes, es quoque factus homo. Nec nostro tantum voluisti è corpore nasci. Sed caro quæ nasci pertulit atque mori. Funeris exequias pateris nouus author & orbis. Intra mortis iter dando salutis opem. Tristia cessarunt inferni vincula legis. Expauitque chaos luminis ore premi. Depereunt tenebræ Christi fulgore fugatæ. AEthernæ noctis pallia crassa cadunt. Pollicitam sed redde fide precor alma potestas. Tertia lux redijt, surge sepulte Deus. Non decet vt vili tumulo tua membra tegantur. Non preciū mundi vilia saxa premant. Indignū est, cuius clauduntur cuncta pugillo: Vt tegat inclusum rupe vetante lapis. Lintea tolle precor, sudaria linque sepulchro. Tu satis es nobis, & sine te nihil est. Solue catenatas inferni carceris vmbras. Et reuoca sursum, quicquid ad ima ruit. Redde tuam faciem, videant vt sæcula lumen. Redde diem, qui nos te moriente fugit. Sed plane implesti, remeans pie victor olympi. Tartara pressa iacent, nec sua iura tenēt. Inferus insaturabiliter caua guttura pandens. Qui cūctos raperet, fit

tua præda Deus. Eripis innumerum populum de carcere mortis. Et sequitur liber, quo suus author abis. Euomit absorptam pauidi fera bellua pleben. Et de fauce lupi subtrahit agnus oues. Hinc tumulum repetens, post tartara carne resumpta. Belliger ad cęlos ampla trophæa refers. Quos habuit pœnale chaos, iam reddidit iste. Et quos mors peteret hos noua vita tenet. Rex sacer, ecce tui radiat pars magna trophæi. Cum puras animas sacra lauacra beant. Candidus egreditur nitidis exercitus vndis. Atque vetus vitium purgat in amne nouo. Fulgentes animos vestis quoque candida signat. Et grege de niueo gaudia pastor habet. Additur hac felix concors mercede sacerdos. Qui dare vult domino dupla talenta suo. Ad meliora trahens gentili errore vagãtes. Bestia ne rapiat, munit ouile Dei. Quos prius Eua nocens infecerat, quos modò reddit Ecclesiæ, pastos hubere lacte, sinu.

Festus, a, um, id est, celebris: vt festus dies. Profestus autem dicitur quasi procul à festo, id est, non festus, Festiuus verò prtinens ad diem festum: vt festiua vestis: Serenum, ponitur hic substantiue pro serenitate. Oceanus. dicitur mare magnum, quod orbẽ terrarum circuit, hic ponitur adiectiue. Elementa liquentia, id est liquida, quæ sunt aër & aqua Ferax, id est, fertilis, quasi ferens fructum. Ver, æstas, autumnus, hyems, faciunt de se verba exemptæ actionis, vt vernat, teut. het lentert, æstuat, het somert. & cætera Vernare etiam significat florere, aut lætum esse, vt alibi. Vidarium, est locus vbi violæ crescunt, vt rosarium, vbi rosæ. Paulatim, id est semper aliquid, vel cum tempore. Stellare, est splendere, vt stellæ. Aruum, dicitur ager frumento consitus. Caudex, est truncus vel ramus. Et dicitur indifferenter caudex et codex, sicut caudæ & coda, p'austrum vel plostrum, & cæt. Lanugo, est tenera lana. Gemma, dicitur prima generatio vitis, quæ & oculus dicitur. Myrtus, est

arbor

arbor quædam, teut. gaghel. Oportet ergo vt s liquescat hic, quod crebrum fuit apud veteres, nam myrta non legitur. Possumus tamen etiam myrrha legere, quæ est arbor aromatica in oriente. Siler est arbuscula similis salici. Vnde Virg. Molle siler acer. est arbor preciosi ligni, de qua fiunt mensæ præstantes. Vlmus vt reor, een berckẽ boom. Fauus, est illud in quo apes mel faciunt. Alueare vel aluearium, een bymme oft korf. Philomela, non Philomena, een nachtegael, quasi amans melos. Gratia, hic dicitur ornatus, vt apud Salomonem. Fallax gratia, & cæt. Tartarus, est profundissimus locus inferorum, dictus à taratto, quod est turbo, vel à tartarizin, id est, abhorrendo. Mensum pro mensium per syncopen. Ouid. Et quos sustinui his mensum quinque labores. Stridulus, est stridens vel sonans. Aristæ, sunt acus in spice, teut. die anghelen in die aeren. ponitur pro spica. Palmes, est ramus vitis. Virgultum, est virga vel multitudo virgarum. Irrecitabiliter, quasi non recitabiliter, id est, indicibiliter: nam recitare, est alta voce legere. Coæuus, est eiusdem æui vel æquè antiquus. Fundere hic significat dilatare, nam quod funditur, dilatatur. Funus, nunc mortem significat, nunc exequias. Funebris à græco nomine phenos, quod est mors. Exequiæ, sunt celebritates, vel sacrificia quæ fiunt pro mortuis. Pallia, id est, obscuritates. Aeternæ noctis, id est, inferni, in quo est æterna nox. Pugillus est pugnus, id est, clausa manus. Nam à pugnus, fit pugillus, vt à talus taxillus, à tignus tigillus. Linteum, dicitur peplũ vel pannus lineus. Inde linteolum, id est, paruum linteum. Inferus quandoque est adiectiuum, significans id quod depressus vel infernus: vt inferus locus, inferum mare. Quandoque est substantiuum, significans infernum, vt hic. Belua, dicitur magna & crudelis bestia. Vnde beluinas. id est, pertinens ad beluam. Radiare, est radios emittere vel splendere. Beare, id est, facere felicem. Inde beatus participium & nomen. Talentum, apud Romanos erat pondus septuaginta librarum, vt ait Seruius. Atticum talentum magnum continet octoginta tres libras, paruum verò quadraginta. Sinu, est hic datiui casus pro sinui. vt apud Vir. Victu inuigilãt, pro victui.

¶De sancto Remigio. Carmen heroicum.

REmigius preſul, meritis ortuq; venustus, Francorum domino gentem peperit luculentã. Re-

medium præstans magnum precibus miserorum. Hic membris recolendo sacris pius ac venerandus. Subueniat nunc magnificus nostris quoque votis. AEternæ patriæ ciues fore quo mereamur. Deo patri sit gloria, & cæt

Finis hymnorum.

¶PROSAE ECCLESIASTICAE. vulgo sequentiæ dictæ, quarum prima est de natali Christi.

ANno imperij Cæsaris Augusti quadragesimo secundo, toto fere orbe post multa bella subacto vel pacato, natus est Christus. Maior enim pars mundi, tota scilicet Europa & Africa, magna etiam pars Asiæ, vt Syria, Iudæa, Cilicia. Pontus, Armenia, sub ditione Romana tunc erant. reliquæ verò gentes, etsi non parebant Cæsari, tamen eum magnopere formidabant. Scribit enim Suetonius in vita Cæsaris, tunc fuisse data responsa per totum orbem, nasci imperatorem inuictum, quod vsque cùm de Christo dictum fuisset, tamen de Augusto plærique accipiebant. Quocirca Schytæ & Parthi & Medi legatos ad Augustum pro pace componenda miserunt, fuitque ergo tanta pax, quanta nullus retro seculis fuisse legitur. Vnde templum Iani, quod in pace clausum, in bello patebat, post ducentos et eo amplius annos, quibus apertum steterat Augustus clausit, & vniuersalem quoque censum, quod nunquam antea factum fuerat, edixit. Hæc igitur tanta pax & tam inconsueta, magnum aliquid indicabat, Christi scilicet aduentum, qui nos Deo patri reconciliaret, cuius natiuitatem non solum Prophetæ viri sanctissimi, sed Sibyllæ etiam prædicauerunt.

In nocte natiuitatis domini.

GRates nunc omnes reddamus domino Deo, qui sua natiuitate nos liberauit de diabolica potestate.

poteſtate. Huic oportet vt canamus cum angelis ſemper, gloria in excelſis.

Grates pluralis numeri, ſunt gratiæ. Virgil. Grates perſoluere dignas, Non opis eſt noſtræ. Gratis etiam aduerbium, ſignificat ſine cauſa vel ſine præmio. Diabolus Græce, calumniator vel accuſator latine.

In aurora.

EIA recolamus laudibus pijs digna huius diei carmina, in qua nobis lux oritur gratiſsima. Noctis interit nebula, pereunt noſtri criminis vmbracula. Hodie ſæculo maris ſtella eſt enixa nouæ ſalutis gaudia. Quē tremunt barathra, mors cruenta pauet ipſa, à quo peribit mortua. Gemit capta peſtis antiqua, coluber liuidus perdit ſpolia. Homo lapſus, ouis abducta reuocatur ad æterna gaudia. Gaudent in hac die agmina angelorum cæleſtia. Quia erat drachma decima perdita, & eſt inuenta. O culpa nimium beata, qua redempta eſt natura. Deus qui creauit omnia, naſcitur ex fœmina. Mirabilis natura, mirificè induta, aſſumens quod non erat, manens quod erat. Induitur natura, diuinitus humana, quis audiuit talia, dic rogo, facta? Quærere venerat paſtor pius quod perierat. Induit galeam, certat vt miles armatura. Proſtratus in ſua propria ruit hoſtis ſpicula, auferuntur tela in quibus fidebat, diuiſa ſunt illius ſpolia, capta præda ſua, Chriſti pugna fortiſsima, ſalus noſtra eſt vera. Qui nos ſuam ad patriam duxit poſt victoriam, in qua ſibi laus eſt æterna.

Reco-

Recolere, eſt repetere. Cic. Tantum ego mihi ad hæc ſtudia recolenda ſumpſero. Etiam ſignificat meditari vel mente tractare. Idem: Quæ ſi ipſe tecum recolis, æquiore animo morieris. Etiam poteſt accipi pro ſimplici. Interire, eſt perire vel mori. Interitus, id eſt, mors. Vmbraculum, id eſt, obſcuritas vel vmbra. Nam vmbra eſt aër carens ſole. Maria, interpretatur ſtella maris. Barathrum, eſt locus profundiſſimus, & ponitur pro inferno. Coluber, eſt ſpecies ſerpentis, quaſi colens vmbras. Liuidus, id eſt, inuidus vel niger vel turpis. Drachma fœminini generis primæ declinationis, eſt quidam denarius, & quoddam pondus, ſcilicet ſex obuli, oft een virendeel loots. Culpa, dicitur beata, quia fuit occaſio vt Deus fieret homo, tamen ſunt nonnulli qui legunt proles, & non culpa. Natura, ſit à verbo naſcor. Eſt enim natura vis naſcendi, vt vis ingenita. Ponitur etiam pro membro naturali aut genitali. Spiculum, eſt telū acutum. Nam telum eſt omne quo nos defendimus. Præda, dicitur totum quod hoſtibus ablatum eſt. Spolium verò eſt qualibet pars prædæ. Vnde præda capitur, ſpolium diuiditur.

Ad ſummam Miſſam.

NAtus ante ſæcula Dei filius, inuiſibilis, interminus. Per quem fit machina cæli & terræ maris & in his degentium. Per quem dies & horæ labant, & ſe iterum reciprocant. Quem angeli in arce poli voce conſona ſemper canunt. Hic corpus aſſumpſerat fragile ſine labe originalis criminis, de carne Mariæ virginis, quo primi parentis culpam Euæ laſciuiam tergeret. Hoc preſens diecula loquitur, prælucida adaucta longitudine, quod ſol verus radio ſui luminis vetuſtas mundi depulerit genitus tenebras. Nec nox vacat noui ſideris luce, quod magorum oculos terruit ſocios. Nec gregum magiſtris defuit lumen quos præſtrinxit claritas militum Dei. Gaude Dei genitrix, quam circumſtat obſtetri-

ſtetricum vice concinentes angeli gloriam Deo. Chriſte patris vnice, qui humanam noſtri cauſa formam aſſumpſiſti, refoue ſupplices tuos. Et quorum participem te fore dignatus es Ieſu, dignantur eorum ſuſcipe preces. Vt ipſos diuinitatis tuæ participes Deus facere digneris vnice Dei.

Sæculum, eſt tempus centum annorum, vel humanæ vitæ, ergo ante ſæcula, id eſt, ante tempora. Interminus, id eſt, ſine termino, & conterminus, id eſt, iuxta terminos. Machina, eſt omnis artificioſa ſtructura à Græco nomine mechane, quod idem ſignificat, à quo mechanicus. Degere, id eſt agere aut viuere, nam & per ſe ponitur, & cum accuſatiuo vitam vel ætatem. Labo, id eſt, cado paulatim. Inde labaſco, de quo alibi. Reciproco, id eſt, recipio. Nam reciprocum dicitur, quod illuc redit vnde profectum eſt. Laſciuus, id eſt, petulans & libidinoſus. Inde laſciuia, id eſt, petulantia, laſciuire, laſciuum eſſe. Diecula, eſt nomen diminutiuum à dies. Ter. Non ſatis habes quod tibi dieculam addo. Vacat, cum datiuo, ſignificat intendit, vel operam dat. Vacat cum ablatiuo, ſignificat caret. Scius, id eſt, ſciens vel doctus. Præſtringere, eſt impedire. Inde præſtigium, id eſt, illuſio oculorum. Obſtetrix, dicitur mulier perita quæ parienti aſtat. Fore ſignificat futurum eſſe, ſed abuſiue ponitur pro eſſe. Dignare, eſt dignum habere, vt hic, vel dignum facere. Virgil. Haud equidem tali me dignor honore.

De ſancto Stephano.

HAnc concordi famulatu colamus ſolennitatẽ. Authoris illius exemplo edocti benigno. Pro perſecutorum precantis fraude ſuorum. O Stephane ſignifer regis ſummi bone, nos exaudi. Proſpicuè qui es pro tuis exauditus inimicis. Paulus tuis precibus Stephane te quondam perſecutus Chriſto credit. Et tecum tripudiat in regno, cui nullus perſecutor appropinquat. Nos proinde, nos ſupplices

ces ad te clamantes, & precibus te pulsantes. Oratio sanctissima nos tua semper cociliet Deo nostro. Te Petrus Christi ministrum statuit, tu Petro normam credendi astruis, ad dexteram summi patris ostendendo, quem plebs furens crucifixit. Te sibi Christus elegit Stephane, per quē fideles suos corroboret. Se tibi inter rotatus saxorum solatio manifestans. Nunc inter inclytas martyrum purpuras coruscas coronatus.

Fraus, licet proprie sit deceptio, tamen hic pro malitia vel culpa ponitur. Ita etiam apud Virg. Quis Deus in fraudem, & cæt. Tripudium, est saltatio, quasi terræ pauium. Nam pauire, est percutere. Vnde pauimentum. Tripudiare, est tripudium agere, id est, saltare, teut. dansen. Proinde, significat propterea. Conciliare, id est coniungere per amorem. Virg. Tu sceptra Iouemque concilias. Inde reconciliare, id est, reducere in gratiam. Astruo, quasi ad aliquid struo. Quandoque significat addo, quandoque affirmo: vt hic. Corroborare, id est, robur dare. Rotare, est voluere. Virg. Instat non segnius ac rotat ensem. Inde rotatus, id est, volutio vel iactatio. Purpura, est color similis sanguini concreta.

¶ De sancto Ioanne euangelista.

IOannes Iesu Christo multùm dilecte virgo. Tu eius amore carnalem in naui parentem liquisti. Tu lene coniugis pectus respuisti Messiam secutus. Tu eius pectoris sacra meruisti fluenta portare. Tuque in terris positus, gloriam conspexisti filij Dei. Quæ solum sanctis in vita creditur contuenda esse perenni. Te Christus in cruce triumphās matri suæ dedit custodem. Vt virgo virginem seruares, atque curam suppeditares. Tu de carcere flagrisque fra-

ctus

ctus teſtimonio pro Chriſti es gauiſus. Idem mortuos ſuſcitas, inque Ieſu nomine venenum forte vincis. Tibi ſummus tacitum præ cæteris verbum ſuum pater reuelat. Tu nos omnes ſedulis precibus apud Deum ſemper commenda, Ioannes Chriſto chare. Amen.

Lenis, prima producta eſt idem quod planus vel mollis. Virg. Et ſæpe in leni quæſiſſent cornua fronte. Meſſias Hebraice, dicitur Græce ſoter, Latine Chriſtus. Fluentum, id eſt, fluuius. Perennis, id eſt, perpetuus, & ſcribitur ſine h, quia fit à per & annus. Dicitur etiam perennus, perenna, perennum. Suppeditare, non ſignificat ſub pedibus dare, ſed abundanter dare, Cicero: Creditores magis aperte pecuniam ſuppeditent. Idem: Ciceroni meo ſuppeditabis quantum videbitur. Igitur hic ſuppeditares curam, id eſt, dares aut miniſtrares neceſſaria. Nam cura pro diligentia ponitur vel pro his rebus quarum cura habenda eſt. Flagrum, quandoque flagellum ſignificat. Iuuena. Nec dura timebis flagra pati. Quandoq; ardorem ſignificat. A quo fit flagrare, id eſt, ardere. Hic capi poteſt pro vtroque. Tacitus, dicitur quando quis tacet, aut de quo tacetur, vt hic.

De innocentibus.

LAus tibi Chriſte, cui ſapit quod videtur cæteris eſſe ſurdaſtrum. Famulatu cuius omnis competit ſexus & ætas. Recentes atque teneri milites. Herodiano enſe trucidati, te hodie prædicauerunt. Licet necdum potuerunt lingula, effuſione tamen te Chriſte ſui ſanguinis præconati ſunt. Lac cum cruore fundentes ad Deum clamitaturi. Vda pupilli quem gena miſeret & innocentis. Quis athletarum fortiſsimus vnquam exercitibus

tantam Christe suis contulit victoriam, Quantam vagiens coæuulis tuis tu præstitisti, mittens eos cælo regnaturos perpetim? O Christi præcones clari, floresque martyrum corusci, Et confessorum insignes gemmulæ sanctorum, atq; sterilium in mundo virginum, Clari filioli, dulces pusioli, nos iuuate precibus. Quos Christus innocentem mortem vestram miserans pro sese maturatam placidus exaudiens, Nos regno suo dignetur. Amen.

Surdaster, id est, aliquantulum surdus, est diminutiuum sicut recaluaster, id est, aliquantulum caluus, qui in prima parte capitis non habet crines. Necdum & nondum, id est, adhuc non. Præconari, id est, laudare. Præconium, id est, laus vel sermo. Nam præco dicitur qui aliquid publicè clamat. Vdus. i. humidus. Ouid. Nec fieret prima pes tuus vdus aqua. Est autem vda gena, hic ablatiui casus, rectus à pupilli sic construendo. Quem miseret pupilli vda gena, & c. Gena, est pars faciei circa oculum, supra malam, & tamen pro mala ponitur. Pupillus, paruulus, carens parentibus, græce dicitur orphanus. Athleta, est pugnator, & est nomen græcũ, Coæuus, eiusdem æui. Inde coæuulus diminutiuum. Gemma, dicitur omnis lapis preciosus præter magaritam quæ vulgo perla dicitur. Pusio, dicitur puer. Iuue. Nonne putas melius quod tecum pusio dormit? Inde pusiolus & pusillus. Maturare, est facere maturũ, vt sol maturat fruges. Etiam est festinare, vt hic. Etiam est moderate facere, Virg. in I. Æneid. Maturate fugam.

In Epiphania Domini.

FEsta Christi omnis Christianitas celebret. Quæ miris sunt modis ornata, cunctisque veneranda populis. Per omni tenentis aduentum atque vocationem gentium. Vt natus est Christus, est stella magis visa lucida At illi non cassam putantes tanti signi gloriam. Secũ munera deferunt, paruulo offerunt

ferunt vt regi cæli,quem ſydus prædicat.Atque aureo tumidi principis lectulo tranſito, Chriſti præſepe quęritant.Hinc ira ſæui Herodis feruida,inuidi recens rectori genito Bethleem paruulos præcepit enſe crudeli perdere.O Chriſte quantum patri exercituum iuuenis doctus ad bella maxima, populis prædicans,colligis ſugens cum tantum miſeris.Anno hominis triceſimo,ſubtus famuli ſe inclyti inclinauerat manus Deus,conſecrans nobis baptiſma in abſolutionem criminum. Ecce ſpiritus in ſpecie ipſum alitis innocuæ vncturus ſanctis præ omnibus viſitat,ſemper ipſius contentus manſione pectoris. Patris etiam inſonuit vox pia veteris oblita ſermonis,pœnitet me feciſſe hominem.Verè filius es tu meus,mihimet placitus, in quo ſum placatus,hodie te mihi fili genui. Huic omnes auſcultate populi præceptori.

Epiphania græcè, latine illuſtratio vel apparitio. Epiphanes,illuſtris.Vt,quandoque ſignificat poſtquam , quandoque qualiter.Virg. Vt vidi, vt perij, id eſt, poſtquam vidi qualiter perij, Magi, Perſica lingua dicuntur ſapientes vel obſeruatores ſyderũ. Magia,prima producta, dicitur ars magorum.Caſsis,dicitur inanis aut vacuus.Caſſa nux inquit Plautus.Tumidus,qui tumet vel ſuperbus eſt.Sæuus.id eſt , crudelis.Sæuitia,id eſt,crudelitas.Sæuio.i. ſæuus ſum.Recens, pro aduerbio recenter ponitur. Virg.Sole recens orto.Perdere, eſt deſtruere vel occidere.Terent.Dii te perdant.Etiã ſignificat amittere,vt notum eſt. Subtus,propriè eſt aduerbium. Subter præpoſitio, ſed quandoq; ſubtus ponitur pro ſubter, vt hic. Inclytus,id eſt,nobilis & glorioſus. Baptiſma græcè,latine merſio aut lotio.Nam baptizo ſignificat mergo.Etiam dicitur baptiſmus & baptiſmum.Innocuus,id eſt, innocens. Quandoque cui non nocetur,vt apud Virgilium: Sedere carinæ omnes innocuæ.Hodie genui te,id eſt,in æternitate.Nam vt Caſsiodorus ait. Hodie apud

Deum nullo initio incipit, nullo fine concluditur, vt quicquid de eo dixeris, illi est hodie. Ausculto te, id est, audio te. Ausculto tibi, id est, obedio tibi.

In commemoratione Mariæ.

LAEtabundus exultet fidelis chorus, alleluya. Regem regum intactæ profudit thorus, res miranda. Angelus consilij natus est de virgine, sol de stella. Sol occasum nesciens, stella semper rutilans, semper clara. Sicut sydus radium profert virgo filium pari forma. Neque sydus radio, neque virgo filio fit corrupta. Cedrus alta libani cõsõmatur hyssopo valde nostra. Verbũ ens altissimi, corporari passum est carne sumpta. Isaias cecinit, synagoga meminit, nunquam tamen desinit esse cæca. Si non suis vatibus credat vel gentilibus sybillinis versibus hæc prædicta. Infelix propera crede vel vetera, cur damnaberis gens misera? Natum considera, quem docet litera, ipsum genuit puerpera.

Nomina in bundus non significant similitudinem, sed abundantiam: vt lætabundus, id est, valde lætus. Errabundus, id est, valde errans. Gemebundus, id est, valde gemens. Alleluia hebraicè, laus tibi domine, vel cantate domino laudem. Est enim oratio non dictio. Radius, est fulgor solis. Est etiam stipes quidam, & instrumentum textorum. Item in rota radij sunt stipites de cantho in axem, sed radiare est fulgere. Libanus, est mons inter Syriam & Phœniciam, in quo crescunt cedri, quæ sunt arbores magnæ et preciosæ. Hyssopus vel hyssopum, est herba medica, & scribitur apud Græcos per omega, id est, o magnum. ideo producit o. Corporare, vt ait Perottus, est interficere, & corpus solum sine anima relinquere. Forte etiã significat corpus facere, ergo hic corporari significat incarnari vel interfici. Synagoga græce, congregatio latine, & nos

muta-

mutamus e in a. Syllaba, dicitur omnis mulier vaticinans, id est, prophetans. Fuerunt Sybillæ decem quæ de Christo prophetauerunt, vt aiunt Augustinus & Lactantius.

Hagnetis virginis.

LAus ſit regi gloriæ, cuius formam gratiæ ſolis ſplendor obſtupeſcit. In hortos eccleſiæ lilia colligere tanquã ſponſus dum proceſſit. Ecce Hagnes inuenitur, & inuenta colligitur lilium de lilio. Anulo cuius munitur & in ſponſam eligitur, regi regis filio. Cuius feruens in amore mundum ſpernit cum decore, blandimentis nec tormentis emollita iudicis. Cumque mentis in feruore ſponſum quærit ſponſæ more ſpoliata veſtimentis, denſis latet capillis. Tunc inducta lupanari, cella fulget vt ſolari ſplendore lucis copia. Ab angelo confortari metuit, atque velari cyclade auro cõtexta. Illic virgo ne tangatur, impudicus ſuffocatur, pro quo Hagnes dum precatur, reuiuiſcit iuuenis. Per quem Chriſtus dum laudatur plebs hinc furens indignatur. Hagnem magnam proteſtatur, tradens hanc incendijs. Sed ignis obſtupens cedit, nec Hagnem nec lanam lædit, eius oris & pudoris nõn ferens potentiam. Cuius guttur enſis cædit mortique vita ſuccedit, ecce vidit quod cupiuit, per ſpõſi potentiam. Poſtquam ergo ſic triumphat, virgo martyr gaudens intrat, ſui ſponſi thalamum. Apud quem nunc intercedat, vt cæli nobis concedat intrare palatium. Amen.

Stupeo, beswijcken. Inde stupor & stupidus. Item obstupeo, & obstupesco, quod accipitur pro miror. Hagnos græcè, castus vel purus latinè. Inde Hagne, huius hagnes: vel hagnes huius hagnetis vel hagnis, pro nomine virginis. Emollire, facere mollem. Inde emollitus, id est, superatus persuasus. Feruor, est vehemens calor, vel commotio, vt feruor maris. Capilli sunt capitis pili, id est, crinis in capite. Capillatus dicitur, qui magnos capillos habet. Lupa, ponitur pro meretrice. Inde lupanar, id est, domus lupæ. Solaris, pertinens ad solem, vt splendor solaris, id est, solis. Cyclas, dicitur vestis ornata circulis aureis vel purpureis. Item cyclades, sunt multæ insulæ per circulum positæ in AEgeo mari. Suffoco, media producta, id est, strangulo, vel fauces premo. Indignari, est irasci tanquam fiat res indigna. Hora. Irascor medicis, fidis indignor amicis. Cedo, cessi, cessum, id est, discedo. Cædo, cæcidi, cæsum, id est, percutio vel occido Inde cædes. i. occisio. Thalamos græce, latine cubiculum, sed propriè sponsi & sponsæ. Inde epithalamium, dicitur carmen nuptiale. Palatium, dicitur ampla domus principis. Inde palatinus, ad palatium pertinens.

In conuersione sancti Pauli Apostoli.

DIxit Dominus ex Basan, conuertens conuertam in profundum maris: Quod dixit et fecit, Saulum vt strauit, Paulum & statuit per verbũ suũ incarnatum, per quod fecit & sæcula. Quod dum impugnat, audiuit: Saule Saule, quid me persequeris? Ego sum Iesus, durum est tibi vt recalcitres stimulo. A facie domini mota est terra, contremuitque mox & quieuit. Dum cognito credidit domino, Saulus persequi cessat conchristianos. Hinc lingua tuorum est canum, ex inimicis rediens ad te Deus. Dum Paulus in ore omnium sacerdotum iuiura dat præceptorum. Docens crucifixum nõ esse alium præter Christum Deum. Cum patre qui regnat &

gnat & sancto spiritu, cuius testis Paulus. Hinc lingua sacerdotum more canis dum perlinxit, legis & Euangelij duos morales in hic contriuit. Corrosit vniuersas species medicinarum, quibus curantur saucij, reficiuntur enutriendi. Quo docente Deum mare vidit & fugit, Iordanis conuersus est retrorsum. Quia turba gentium relicto vitiorum profundo, O grege Basan, confuso. Te solū adorat Christum creatorem, quem & cognoscit in carne venisse redemptorem.

Iste primus versus in forma habetur in Psal 67. & vult author huius sequentiæ, quod completus sit per cōuersionem S. Pauli. Basan autem fuit regio quædam gentilium, & interpretatur sterilitas vel siccitas, & significat infidelitatem, de qua Deus conuertit Paulum ad cognitionem sui nominis. Paulus, primo vocabatur Saulus, per tres syllabas, nam hebraice dicitur Sahul: Recalcitrare, est calcibus percutere, vt equi faciunt. Recalcitrare stimulo, est rebellando fortiori lædere seipsum. Terent. Inscitia est, si aduersus stimulum recalcitres. Canes, significant sacerdotes, qui debent defendere domos Dei, & ab ouibus lupos arcere. Est autem hic versus ex psalmo prædicto, docens crucifixum. & cæt. i. Paulus ostendit Iudæis illum quem crucifixerant, esse Christum Deum. Molaris, id est, pertinens ad molam, & sic capitur adiectiue, quandoq; substantiue, cum significat dentes maiores, quibus molitur cibus, ita capitur hic. Saucius, dicitur vulneratus. Inde sauciare, id est, vulnerare. Iordanis, amœnus fluuius circa Iudæam, hic ponitur pro populo Iudæorum, sicut mare pro gentilibus. Basan, fuit quædam regio, cuius rex dicebatur Og, qui hic ponitur pro diabolo.

In festo purificationis Mariæ.

Concentu parili hic te Maria veneratur populus, teque pijs colit cordibus. Generosi Abrahæ tu filia veneranda, regia de Dauidis stirpe geni-

ta. Sanctiſsima corpore, caſtiſsima moribuſq;, omnium pulcherrima virgo virginum. Lætare mater & virgo nobilis, Gabrielis archangelico quæ oraculo credula genuiſti clauſa filium. In cuius ſacratiſsimi ſanguine emundatur vniuerſitas perditiſsimi generis, vt promiſit Deus Abrahæ. Te virga arida Aaron flore ſpecioſa prefigurat Maria, ſine viri ſemine nato floridam. Tu porta iugiter ſerata, quam Ezechielis vox teſtatur, Maria ſoli Deo peruia eſſe crederis. Sed tu tamen matris virtutum dum nobis exemplum cupiſti commendare, ſubiſti remedium, pollutis ſtatutum matribus. Ad templum detuliſti tecum mundandum qui tibi integritatis decus Deus homo genitus adauxit intacta genitrix. Lætare quam ſcrutator cordis ac renum probat, proprio habitatu ſingulariter dignam, ſancta Maria. Exulta cui paruulus arriſit tunc Maria, qui lætari omnibus & conſiſtere ſuo nutu tribuit. Ergo quíque colimus feſta paruuli Chriſti propter nos facti, eiuſque piæ matris Mariæ. Si non Dei poſſumus tantum exequi tardi humilitatẽ, forma ſit nobis eius genitrix. Laus patri gloriæ, qui ſuum filium gentibus & populis reuelans, Iſraël nos ſociat. Laus eius filio, qui ſuo ſanguine nos patri reconcilians ſupernis ſociauit ciuibus. Laus quoque ſancto ſpiritui ſit per æuum.

Parilis, id eſt, æqualis vel par. Nota quod omnia nomina in ilis quæ formantur à nominibus, producunt i, præter parilis, quod ſit à par. Exempla regulæ, puerilis, ſenilis, anilis. & cæt. Generoſus dicitur, qui eſt de magno genere. Oraculum vt ait Seneca,

eſt

eſt diuina voluntas ore hominis enunciata. Virgilius. Mittimus Euriphilum ſcitatum oracula Phœbi. Aaron, fuit frater M[illegible] ior natu, & primus Iudæorum pontifex. Quod alij q[illegible] ægrè ferrent iuſsit dominus Aaron, vt alij ſui ſuas quiſque virgas deferrent in tabernaculum domini, vt miraculo proderetur quis eſſet pontificio digniſsimus. Deinde reuerſi, viderunt virgam Aaron flores & fructus protuliſſe. Ezechiel fuit propheta qui ſic ſcribit de virgine Maria. Conuerti me ad viam portæ ſanctuarij exterioris, quæ reſpiciebat ad orientem, & erat clauſa. Et dixit dominus ad me. Porta hæc clauſa erit, & non aperietur, & vir non tranſibit per eam, eritque clauſa principi. Scrutari, id eſt, inquirere vel perſpicere. Pſalm. Scrutans corda & renes Deus. Exultare, Eſt frequentatiuum ab exilio, quod fit ab ex & ſalio. Nutus, eſt motus capitis. Accipitur pro voluntate. Fit autem à verbo nuo, à quo eſt nutare frequentatiuum. Colimus feſta Chriſti paruuli propter nos, id eſt, qui factus eſt paruulus propter nos. Exequi, id eſt, perficere, hic accipitur pro ſequi. Tardus, dicitur piger in agendo. Cui opponitur feſtinus. Pater gloriæ dicitur, vel quia ſummam gloriam habet, vel quia gloriam dat ſanctis, vel quia digniſsimus omni gloria. Iſraël, interpretatur vir videns Deum, & ponitur hic pro cœtu bonorum. Velare, eſt velo tegere. Reuelare, eſt auferre velū vel manifeſtare, & producitur ue.

In die ſancto Paſchæ.

LAudes ſaluatori voce modulemur ſupplici. Et deuotis melodijs cæleſti domino iubilemus Meſsiæ. Qui ſeipſum exinaniuit, vt nos perditos liberaret homines. Carne gloriam Deitatis occulēs, pannis tegitur in præſepi, miſerans præcepti tranſgreſſorem, pulſum patria paradiſi nudulum. Ioſeph, Mariæ, Simeoni ſubditur, circunciditur & legali hoſtia mundatur vt peccator, noſtra qui ſolet relaxare crimina. Serui ſubijt manus baptizandus

ac perfert fraudes tentatoris,fugit persequentium lapides.Famem patitur,dormit ac tristatur, ac lauat discipulis pedes Deus,homo,summus,humilis. Sed tamen inter hæc abiecta corporis, eius Deitas nequaquam quiuit latere,signis varijs & doctrinis prodita.Aquam nuptijs dat saporis vinei, cæcos oculos claro lumine vestiuit, lepram luridam tactu fugat placido.Putres mortuos suscitat,membraque curat debilia,fluxum sanguinis constrinxit,& saturauit quinque de panibus quina millia. Stagnum peragrat fluctuans ceu siccum littus,ventos sedat, linguam reserat constrictam,reclusit aures priuatas vocibus,febres depulit.Posthæc miracula taliaque, sponte sua comprehenditur,& damnatur. Et se crucifigi non despexit, sed sol eius mortem non aspexit. Illuxit dies quam fecit dominus mortem deuastans, & victor suis apparens dilectoribus viuus. Primò Mariæ,deinde apostolis, docens scripturas, cor aperiens vt clausa de ipso reserarent. Fauent, igitur resurgenti Christo cuncta gaudijs,flores, segetes rediuiuo fructu vernãt, & volucres gelu tristi terso dulce iubilant. Lucent clarius sol & luna morte Christi turbida, tellus herbida resurgenti plaudit Christo,quæ tremula eius morte se casurã minitat.Ergo die ista exultemus, qua nobis viam vitæ resurgens patefecit Iesus. Astra, solum, mare, iucundentur,& cuncti gratulentur in cælis spiritales chori trinitati.

Modulari,

Modulari, est canere. Ouidius. Pastor inæquali modulatur harundine carmen. Melodia, id est, melos vel dulcis cantus, Messias, Hebraicè dicitur Christus. Exinanire, est euacuare vel facere inanem. Nam à nomine inanis formatur. Occulto. i. abscondo. Inde occultus & occultare. Miserari, idem est quod misereri, sed regit accusatiuum. Virg. Dij Iouis in tectis iram miserantur inanem. Nudulus, fit à nudus, sicut nidulus, à nidus, modulus à modus, & cætera. Hostia, dicitur oblatio, & proprie quæ fit vt hostes vincātur. Ouid. Hostibus à domitis hostia nomen habet. Seruus, est qui habet dominum, teut. een eyghen man. Nam qui precio conductus est, dicitur minister mercenarius. Nota, in historijs sæpe ponitur tempus præsens pro præterito, causa elegantiæ, vt hic famem patitur, & c. Prodo, quasi porro. i. procul do. i. manifesto: Etiam significat verraden. Vineus, quasi pertinens ad vinum, vt sapor vineus, id est, vini. Luridus, id est, turpis aut valde pallidus. Putris, est idem quod putridus. Inde putredo, sicut à dulcis dulcedo. Constringere, est colligare vel compescere. Inde constrictus, id est, colligatus. Per-agro, id est, transeo, quasi eo per agrum, et est media correpta. Ceu, id est, sicut. Seu, id est, siue. Sedare, est placare, mitigare, quasi facio sedere. Recludere, est aperire. Virg. Ipse iubebatur tristes recludere portas. Sponte, id est, voluntarie, & est solus ablatiuus, tamen legitur etiam genitiuus spontis apud Aulum Gellium. Deuastare, est destruere vel facere vastum, id est, amplum. Virg. Genitor tum Belus opimum. Vastabat Cyprum. Incertum est, de quā Maria hic intelligatur, vtrum de virgine matre, an de Magdalena. Nam de vtraque potest intelligi. Rediuiuus, quasi rursus viuus, vel reuiuiscens. Vernare, est aliquod veris opus exercere. Nam à ver, fit vernus, inde & vernare. Ergo herbæ & arbores vernant, id est, frondent & florent. Aues vernant. i. canunt, & cæt. Turbidus, id est, turbatus & commotus, nam turba dicitur turbatio. Herbidus, id est habens herbas, fit enim à verbo herbeo, à quo & herbesco, id est, herbas facio vel acquiro. Tremulus, id est, tremens. Mino vel minor dicitur indifferenter. A mino fit minito frequentatiuum. A minor, fit minitor, & hoc magis vsitatum est. Tull. Mortem mihi minitaris. Gratulari, est congaudere. Congratulor non reperitur apud disertos.

Feria secunda & quarta Paschæ.

LAudes Christo redēpti voce modulemur supplici. Omnis in hac die rerum natura iubilans

personet immensas filio Dei gratias. Iam nostri con ciues, cęlestis sanctuarij milites. Ordines nouem in vestra nos adunate gaudia. Hymnite nunc superi, pariter resonate inferi. Et omnis in domino spiritus gratuletur ænesi. Quia hominis causa Deus homo nascitur, & fragili carne se Deitas occulens, probra sustinuit patiens. Virtutibus, signis, vt Deus emicuit: & corporis nostri necessitate fruens, verus terrigena claruit. Ab hoste tentatus non est agnitus, neque diuinitas patuit. Ars autem delusit donec veteris nodum piaculi seculi. In ara crucis hostiam se pro nobis Christus obtulit Deo patri, morte sua, nostra mortificans crimina. Iam Christus victor barathro populato, mortis principe vinculato, ab inferis pompa regreditur nobili. Hæc est dies quæ illuxit post turbida regni æthiopum tempora. Christus in qua resurrexit, vltra victurus cum carne quam sumpsit de Maria virgine. Qui ouem cum gaudio patri, quam perdiderat, humero reuexit suo.

Iubilus vel iubilum, est vox præ lætitia siue arte prolata. Sil. Et lætus scopulus audiuit iubila cyclops. Inde iubilare, præ lætitia vociferari. Sanctuarium. est locus sanctus, vel vbi sancta continentur. Hymnire, est laudando cantare. Nam Hymnos græcè carmen latinè. Superi, dicuntur cælestes qui sunt supra. Inferi, qui sunt infra, vt homines sunt inferi respectu cælestiũ, homines etiam sunt superi respectu inferorum. Aenos græcè, dicitur laus latinè. Aenesis, laudatio. Aeno, id est, laudo. Probra, sunt verba maledica vel turpia. Virtus, sæpe ponitur pro efficatia vel potentia, vt hoc loco. Terrigena, id est, de terra genitus. Poëtæ accipiunt pro gigantibus qui dicuntur filij terræ. Ars, quandoque scientiam significat, quandoque prudentiam & calliditatem, vt hic. Piaculum, est peccatũ.

Etiam

Etiam est purgatio vel medela. Vide longius ad hymnum. Summi largitor. Barathrum, est infernus vel quilibet profundus locus. Populo vel populor significat destruo vel euerto. Pompa, dicitur ornatus vel apparatus. Æthiopes, sunt homines nigri & ardore solis adusti. Nam ætho græce, significat cremo. Hic significat dæmones.

Feria tertia 4.5.6.7. Paschæ.

VIctimæ paschali laudes immolent Christiani. Agnus redemit oues, Christus innocens patri reconciliauit peccatores. Mors & vita duello conflixere mirando, dux vitæ mortuus regnat viuus. Dic nobis Maria quid vidisti in via? sepulchrum Christi viuentis, & gloriam vidi resurgentis. Angelicos testes, sudarium & vestes. Surrexit Christus spes mea, præcedet suos in Galilæam. Credendum est magis soli Mariæ veraci, quàm Iudæorum turbæ fallaci. Scimus Christum surrexisse à mortuis verè, tu nobis victor rex miserere.

Victima dicitur oblatio facta causa victoriæ. Ouidius. Victima quæ cecidit dextra victrice vocatur. Mola, dicitur farina salsa quæ offerebatur. Inde fit immolare, id est, molam offerre. Duellum, est bellum, non tantum duorum sed duarum partium. Confligere, id est, pugnare. Conflictus, id est, pugna vel percussio cum hostibus. Sudarium, est peplum quo sudor abstergitur à facie. Galilæa est pars Iudææ, in qua est Nazareth, & interpretatur transmigratio facta.

In commemoratione Mariæ post pascha.

VIRGini Mariæ laudes intonent Christiani. Eua tristis abstulit, sed Maria protulit natum, qui redemit peccatores. Ius & virtus modulo con-

uenere mirando, Mariæ filius regnat viuus. Dic nobis maria virgo clemens & pia, quomodo genitrix es facta, cùm tu ſis plaſma ex te naſcentis? Angelus eſt teſtis, ad me miſſus cæleſtis, proceſsit ex me ſpes mea, ſed incredula manet Iudæa. Credendum eſt magis ſoli Gabrieli forti, quàm Iudæorum prauæ cohorti. Scimus Chriſtum proceſsiſſe ex Maria verè, tu nobis nate rex miſerere.

Tonos græcè, ſonus latinè. Inde tonare, id eſt, grauiter ſonare. Intonare. i. inſonare ſonum. Modulus, id eſt, modus per diminutionem. Clemens dicitur, qui vel quæ non facile iraſcitur. Pius verò dicitur bonus, ſanctus, aut beneficus. Plaſma græce, formatio vel creatura latine. Iudæa, eſt regio vbi Iudæi habitabant, ſcilicet in qua eſt Ieruſalem. Ponitur etiam Iudæa pro ipſis Iudæis, vt Germania pro Germanis, ſcilicet continens pro contento.

Dominica ante aſcenſionem.

MAne prima ſabbathi ſurgens dei filius, noſtra ſpes & gloria. Victo rege ſceleris, rediÿt ex inferis cum ſumma victoria. Cuius reſurrectio omni plena gaudio, conſolatur omnia. Reſurgẽtis itaque Maria Magdalena facta eſt prænuncia. Ferens Chriſti fratribus, eius morte triſtibus, expectata gaudia. O beati oculi, quibus regem ſæculi, morte iam depoſita, prima eſt intuita. Hæc eſt illa fœmina, cuius cuncta crimina, ad Chriſti veſtigia, eius lauit gratia. Quæ dum plorat, & mens orat, facto clamat quod cor amat Ieſum ſuper omnia. Non ignorat quem adorat, quod precetur iam deletur, quod mens timet conſcia. O Maria ſtella maris

mater

mater pia appellaris, operum per merita. Matri Chrifti coæquata, dum fuifti fic vocata, fed honore fubdita. Illa mundi imperatri, ifta beata peccatrix, lætitiæ præmordia fuderunt in ecclefia. Illa enim fuit porta, per quam falus eft exorta, hæc refurgentis nuntia, mundum replet lætitia. O Maria Magdalena, audi vota laude plena, apud Chriftum chorũ iftum clementer concilia. Vt fons fummæ pietatis, qui te lauit à peccatis feruos fuos atque tuos, mundet data venia. Amen dicant omnia.

Sabbathum, Hebraicè, dicitur requies latine, & fignificat diẽ feptimum in quo Iudæi iufsi erant quiefcere & feriari. Prima fabbati, eft prima dies poft fabbatum, fcilicet dies folis, quæ dominica dicitur, quoniam dominus nofter in illa die natus fuit, & in eadem furrexit à mortuis. Rex fceleris, eft diabolus, vel quia ipfe fcelus inuenit, vel quia fcelus punit. Confolor verbum commune, quia actiue & pafsiue ponitur, habet mediam productam. Horat. His me confolor victurum fuauius. Fœmina, & mulier differunt, nam mulier dicitur tantum de hominibus, fœmina etiam de alijs animalibus. Dicimus enim anfer mas & anfer fœmina. Confcius, proprie dicitur qui fcit fe peccaffe. Iuuenalis: Quis nũc diligitur nifi confcius? Aliquando tamen de bono dicitur. Virg. Et mẽs fibi confcia recti. Ille, ifte, & hic differunt, nam hic demonftrant rẽ præfentem aut proximam loquenti. Ifte autem, rem proximam ei ad quem loquitur. Ille autem, rem remotam ab vtroque. Ifte verò vel hic demonftrat aut refert rem proprius dictam. Ille verò remotius dictam. Chorus, eft congregatio lætantium vel canentium. Amen, dictio hebraica eft, & quandoque fignificat veritatem, quandoque vere, quandoque fiat.

De fancto Ioanne ante portam latinam.

VErbum Dei de Deo natum, quod nec factum nec creatum, venit de cæleftibus. Hoc vidit, hoc attrectauit, hoc de cælo referauit Ioannes homini-

minibus. Inter illos primitiuos, veros veri fontis riuos Ioannes exilijt. Toti mundo propinare nectar illud salutare, quod de throno prodijt. Cælum transijt veri solis, rotam vidit ibi, totam mentis figens aciem. Speculator spiritalis quasi Seraphim sub alis Dei videns aciem. Audijt in gyro sedis, qui psallit cum chitarœdis, quater senos proceres. De sigillo trinitatis, nostro nũmo ciuitatis hic impresſit characteres. Iste custos virginis, arcanum originis, diuinum mysteriũ scribens Euangelium mundo demonstrauit. Cæli cui sacrarium suum Christus lilium filio tonitrui, sub amoris mutui, pace commendauit. Haurit virus hic lætale, vbi corpus virginale, virtus seruat fidei. Pœna stupet, quod in pœna, sit Ioannes sine pœna, bullientis olei. Hic naturis imperat, vt & saxa transferat in decus gemmarum. Quo iubente riguit, aurum fuluum induit virgula syluarum. Hic infernum reserat, morti iubet vt referat, quos venenum strauit. Obstruit quod Ebion, Cherinthus & Marcion, perfide latrauit. Volat auis sine meta, quo nec vates, nec propheta euolauit altius. Tam implenda quam impleta, nunquam vidit tot secreta purus homo purius. Aquilam Iezechielis sponsus misit, quæ de cælis referret mysterium. Sponsus rubra veste tectus, visus, sed non intellectus, redit ad palatium. Dic dilecte de dilecto, qualis sit ex dilecto sponsæ nuncia. Dic quis cibus angelorum quæ sunt festa supernorum de sponsi præsentia.

præsentia. Veri panis intellectus, cęna Christi supra pectus, sit quæ, nobis resera. Vt cantemus de patrono, coram agno, corā throno, laudes super æthera.

Diuus Ioannes Euangelista à Domitiano imperatore Romam vocatus, ob constantiam fidei ante portam latinam fuit proiectus in dolium feruenti oleo plenum, sed cum exisset illæsus, in insulam Pathmos, quæ est vna Cycladum vel Sporadum, relegatus fuit, vbi Apocalypsim scripsit. Attrectare, est manibus attingere. Nam tracto mutat a in e in compositis. Propinare *significat proprie præbibere. teut. brengen. Etiam schencken, vt hic. Seraphim, sunt angeli in supremo choro. Gyrus, est circumitus. Citharœdus, id est, citharista, qui psallat cithara. Caracter, græce forma latine vel signum, & proprie debet e producere in obliquis, sed vsus non seruat. Arcanum, id est, secretum ab arca, quod idem significat, græce mysterium. Sacrarium, dicitur locus templi vbi sacra seruantur, pro quo vulgus ait sacristia. Lætum, substantiuè dicitur mors: letalis, id est, mortalis, vel ad lætum pertinens. Bullire. i. feruere, vel bullas habere. Nam nulla est inflatio aquæ commotæ. Dicimus igitur aqua bullit, feruet, vel habet bullas. Gemmæ sunt lapides preciosi omnes, præter margaritam. Fuluus, dicitur color mixtus ex rufo & viridi, vt color auri & leonum. Ebion & Cherinthus erant hæretici, qui volebant Iudaismum seruandum cum Christianismo. Marcion, fuit hæreticus qui posuit duo principia vel duos Deos, scilicet bonum & malum. Meta, est terminus. Virgilius. Hic labor extremus, longarum hic meta viarum. Iezechiel propheta describit quandam aquilam grandem, per quam sanctus Ioannes intelligitur.* Patronus, *dicitur defensor, cuius relatiuum est cliens. Inde patrocinor, id est, defendo. Et patrocinium, id est, defensio. Cœna, dicitur à græco nomine cœnon, quod est commune, quia tantum in cœna veteres simul edebant, cùm scilicet magis vacarent. Inde fit cœnula, id est, parua cœna.*

In Ascensione Domini.

SVmmi triumphum regis prosequamur laude. Qui cæli, qui terræ regit sceptra, inferni iure domito. Qui sese pro nobis redimendis per magnum

gnum dedit precium. Huic nomen extat conueniēs Idithum. Nam transiliuit omnes strenue montes, colliculosque Bethel. Saltum de cælo dedit in virginalem ventrem, inde in pelagus sæculi. Postquam illud suo mitigauit potentatu, terras Phlegetontis assilijt tenebras. Principis illius disturbato imperio. Manipulis plurimis inde erutis, mundum illustrat suo iubilare, Captiuitatemque detentam inibi victor duxit secum. Et rediuiuum iam suis se præbuit seruis & amicis. Deniq; saltum dederat hodie maximum, nubes polosque cursu præpeti transiens. Celebret ergo populus hunc diem credulus, cuius morbida Idithum corpora in semetipso altis sedibus cæli inuexit Dei filius. Et tremens iudicem expectat affuturum, vt duo angeli fratres docuerunt. Qui Iesus à vobis assumptus est in cælum, iterum veniet vt vidistis eum. Iam Idithum nostrum vocibus sedulis omnes imploremus. Vt à dextris patris qui sedet, spiritum mittat nobis sanctum. In fine sęculi, ipse quoque semper sit nobiscum. Amen.

De triumpho supra dictum est. Prosequor te laudi, id est, laudo te. Prosequor te honore. i. honoro te, & cæt. Per iungitur Positiuis, & significat valde: vt permagnus, perutilis, permultus. Idithum, fuit nomen viri Hebraicè & interpretatur transiliens eos: ideo hoc nomen conuenit Christo. Bethel fuit ciuitas in Iudæa, & interpretatur domus Dei. Saltus vno modo est saltatio vt hic: altero modo dicitur sylua. Mitigare, est facere mitem. Phlegeton, est infernus, vel vt poëtæ volunt, fluuius ardens apud inferos. Nam Phlegetho græce significat comburo. Manipulus, est tantum segetis, quantum manu teneri potest. Item est cohors centum militum, vel turba, vt hic. Item per syncopen u tollitur. Luc. Conuocat armatos ex tēplo ad signa maniplos, Morbidus, id est, infirmus et plenus morbis.

Etiam

Etiam dicitur morbosus. Credulus proprie, qui cito credit. Ouidius. Credula res amor est. Virgilius. Sed non ego credulus illis. implorare, est cum ploratu inuocare, & regit accusatiuum. Seduus, id est continuus, & diligens. Inde sedulitas, id est, diligentia.

In die octaua Pentecostes.

SAncti spiritus asit nobis gratia. Quæ corda nostra sibi faciat habitaculum. Expulsis inde cunctis vitijs spiritalibus. Spiritus alme, illustrator hominum. Horridas nostræ mentis purga tenebras. Amator sancte sensatorum semper cogitatuum. Infunde vnctionem tuã clemens nostris sensibus. Tu purificator omnium flagitiorum spiritus. Purifica nostri oculum interioris hominis. Vt videri supremus genitor posit à nobis. Mundi cordis quem soli cernere possunt oculi. Prophetas tu inspirasti, vt prçconia Christi præcinuissent inclyta. Apostolos tu confortasti, vti trophæum Christi per totum mundum veherent. Quando machinam per verbũ suum fecit Deus cæli, terræ, mariũ. Tu super aquas foturus eas, numen tuum expandisti spiritus. Tu animabus viuificandis aquas fœcundas. Tu aspirando das spiritales esse homines. Tu diuisum per linguas mundum & ritus adunasti domine. Idololatras ad cultum Dei reuocas magistrorum optime. Ergo nos supplicantes tibi, exaudi propitius sancte spiritus. Sine quo preces omnes cassæ creduntur & indignæ Dei auribus. Tu qui omnium sæculorum sanctos tui numinis docuisti instinctu amplectendo [illegible] spiritus,

ſpiritus,ipſe hodie Apoſtolos Chriſti donans munere inſolito, & cunctis inaudito ſæculis. Hunc diem glorioſum feciſti.

Pentecoſte Græcum nomen eſt, quod latine ſonat quinquageſima, vt latius ſupra ibi. Veni creator, & cætera: et ſcribitur ſine h. Gratia eſt donum quaſi gratis datum. Etiam gratia eſt gratitudo. Gratia pro rebus merito debetur inemptis. Item gratia eſt cauſa, ſed hoc in ſolo ablatiuo. Senſatus, dicitur prudens. Etiam ſenſatus dicitur, qui ſenſus habet. Flagitium, eſt peccatum, quaſi flagris, id eſt flagellis dignum. Inde flagitioſus, id eſt, plenus flagitijs. Interior homo, id eſt, anima hominis. Prophetes Græce dicitur, qui futura prædicit. Nam propheteuo ſignificat prædico. Inſpirare, id eſt, inflare vel indere. nam ſpirare eſt flare. Aſpirare, afflare. Trophæum, eſt ſignum victoriæ: vt crux eſt trophæum Chriſti. Numen, eſt diuina maieſtas vel poteſtas. Fœcundus, id eſt, abundans aut plenus Hor.

Fœcundi calices quem non fecere diſertum?

Fœcundare, eſt facere fœcundum. Virgilius:

Et viridem Ægyptum nigra fœcundat arena.

Ritus, eſt mos vel conſuetudo. Idôlon Græce, eſt imago vel ſimulachrum Latine, Inde idololatria, id eſt, idolorum cultura & idololatra vel idololatres, id eſt, cultor idolorum. Noſtri verò corruptè ſcribunt & legunt idololatria et idolatra. Item idôlum apud Græcos habet o magnum. Inſtinctus, eſt inſpiratio vel immiſsio.

De ſancto ſpiritu per totam hebdomadam.

VEni ſancte ſpiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium. Veni pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium. Conſolator optime, dulcis hoſpes animæ, dulce refrigerium. In labore requies, in æſtu temperies, in fletu ſolatium. O lux beatiſsima, reple cordis intima tuorum fidelium. Sine tuo numine nihil eſt in lumine, nihil eſt innoxium. Laua quod eſt ſordidum, riga

riga quod eſt aridum, ſana quod eſt ſaucium. Flecte quod eſt rigidũ, foue quod eſt frigidum, rege quod eſt deuium. Da tuis fidelibus in te confidentibus, ſacrum ſeptenarium. Da virtutis meritum, da ſalutis exitum, da perenne gaudium.

Cælitus aduerbiũ, ſignificat de cælo: ſed cælitus nomen adiectiuum, ſignificat id quod cæleſtis. Refrigero, ſignificat frigefacio. Inde refrigerium, id eſt, frigidatio. Aeſtus, id eſt, vehemens calor. Etiã eſt commotio, vt æſtus maris. Temperies, eſt moderatio, nam temperare eſt moderari. Virgilius. Mollitque animos et temperat iras. Noxius, id eſt, nocens. Innoxius, innocens. Rigare nat maeken, ſed rigere ſtijfweſen. Rigidus, ſtijf. Saucius. id eſt, vulneratus. Septenarius, dicitur numerus conſtans de ſeptem, hic per ſeptenarium accipimus ſeptem dona ſpiritus ſancti, quæ habes ibi: Veni cretor.

De venerabili Sacramento. 3

LAuda Sion ſaluatorem. Lauda ducem, & paſtorem in hymnis & canticis. Quantũ poteſt, tantum aude, quia maior omni laude, nec laudare ſufficis. Laudis thema ſpecialis, panis viuus & vitalis hodie proponitur. Quẽ in ſacræ menſa cœnæ, turbæ fratrum duodenæ datum nõ ambigitur. Sit laus plena, ſit ſonora, ſit iucunda, ſit decora mentis iubilatio. Dies enim ſolennis agitur, in qua menſæ prima recolitur huius inſtitutio. In hac menſa noui regis, nouum phaſe nouæ legis, paſchæ vetus terminat. Vetuſtatem nouitas, vmbram fugat veritas, noctem lux eliminat. Quod in cœna Chriſtus geſſit, faciendum hoc expreſsit in ſui memoriã. Docti ſacris inſtitutis, panem, vinu in ſalutis cõſecramus hoſtiam. Dogma datur Chriſtianis, quod in carnẽ

transit panis, & vinum in sanguinem. Quod non capis quod non vides, animosa firmat fides præter rerum ordinem. Sub diuersis speciebus, signis tantum & non rebus, latent res eximiæ. Caro cibus, sanguis potus, manet Christus tamen totus sub vtraque specie. A sumente non concisus, nō confractus, non diuisus, integer accipitur. Sumit vnus, sumunt mille, quantum iste tantum ille, nec sumptus absumitur. Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali vitæ vel interitus. Mors est malis, vita bonis, vide paris sumptionis quam sit dispar exitus. Fracto demum sacramento, ne vacilles, sed memento tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur. Nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura, qua nec status nec statura signati minuitur. Ecce panis angelorum, factus cibus viatorum, vere panis filiorum, nō mittendus canibus. In figuris præsignatur, cum Isaac immolatur, agnus paschæ deputatur, datur manna patribus. Bone pastor panis vere, Iesu nostri miserere, tu nos pasce, nos tuere, tu nos bona fac videre in terra viuentium. Tu qui cuncta scis & vales, qui nos pascis hic mortales, tuos ibi commensales cohæredes & sodales fac sanctorum ciuium.

Sion, fuit arx Ierusalem. Capitur pro homine Christiano, vel pro anima deuota, interpretatur enim speculatio. Theso, Græce significat pono. Inde thema est positio vel fundamentum. Vitalis, ad vitam pertinens vel viuificans. Proponere, est anteponere, vt videatur: sed præponere, est præferre in honore. Ambigo, ab an quod est circum, & ago, significat id quod circumago. Etiam significat dubito,

dubito, vt hic. Phaso, Hebraice dicitur transitus, quo nomine vocant Iudaei suum Pascha, quod fuit figura nostri paschae. Eliminare est expellere, quasi extra limen fugare. Memoria sui, quae habebatur de se. Nam si dicis memoria sua, significat quam ipse habet. Dogma Graece, Latine decretum vel institutum: vt varia sunt dogmata philosophorum & religiosorum. Eximius, id est, egregius, et quasi exemptus, nam eximere significat excipere. Species, est idem quod forma. Speciosus, id est, formosus. Integer, id est, totus, & cũ omnibus partibus. Integrare, facere integrum. Absumere, est consumere. Horatius. Absumet haeres caecuba dignior. Interitus, dicitur mors à verbo interire, quod est mori. Demum, significat tandem. Vacillare, est moueri de vno latere in aliud, vt nautcula in fluctibus. Etiam est dubitare, vt hic. Fragmentum, est frustum de aliqua re fractum. Status, est modus standi. Statura verò longitudo dicitur, vt homo magna vel parua statura. Viare, est ire. Inde viator. Isaac, fuit filius Abrahae, quem pater iussu domini immolare voluit. Dicitur autem sacramentum hoc fuisse praefiguratum per immolationem Isaac, per agnum paschalem, & per manna patribus datum. Commensalis, dicitur qui sedet in mensa alterius. Sodalis, est socius in ludis aut rebus laetis,

De sancta Trinitate.

BEnedicta semper sancta sit trinitas, Deitas scilicet vnica, coaequalis gloria. Pater filius spiritus sanctus, tria sunt nomina, omnia eadem substantia, Deus genitor, Deus genitus, in vtroque sacer spiritus, deitate socia. Non tres tamen dij sunt, Deus verus vnus est, sic pater dominus, filius, spiritusque sanctus Proprietas in personis, vnitas est & in essentia. Maiestas par & potestas, decus, honor aeque per omnia. Sydera, maria continens, arua simul & vniuersa condita. Quem tremunt impia tartara, colit quoque quem abyssus infima. Quem laudant sol atque luna, dignitas adorat angelica. Hinc omnis

vox atque lingua fateatur, hunc laude debita. Et nos voce præcelſa nunc omnes modulemur organica cantica dulci melodia. Eia & eia nunc ſimul iubilemus altithrono domino laudes in excelſis. O veneranda trinitas. O adoranda vnitas, Per te ſumus creati vera æternitas. Per te ſumus creati vera æternitas. Per te ſumus redempti ſumma tu charitas populum cunctum tu protege, ſalua, libera, eripe, & emunda. Te adoramus omnipotens, tibi canimus, tibi laus, & gloria. Per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Trinus, idem eſt quod triplex. Inde trinitas, numerus ternarius. Trinitas Græce, dicitur trias triados, ſicut vnitas Græce dicitur monas monados. Deus in nominatiuo plurali habet Dei vel dij. Luc. Et veniam meruêre Dei. Virgilius. Dij tibi ſi qua pios reſpectant, & cætera. Item in datiuo & ablatiuo deis & dijs. Maieſtas, eſt honor & reuerentia, quaſi maior poteſtas. Vnde reus læſæ maieſtatis dicitur, qui contra honorem principis aliquid vel agit vel dicit. Abyſſus, dicitur immenſa profunditas & eſt Græcum. Vox, à ſcriptoribus capitur pro omni ſono. Inde vocula diminutiuum, & vocalis, id eſt, ſonorus, & vociferor, id eſt, clamo. Thronos Græce, dicitur ſedes, inde adiectiuum altithronus o correpta, id eſt ſedens in alto throno ſicut altiſonus, id eſt, alte ſonans. Celſus, celſior, celſiſsimus, id eſt, altus. Inde præcelſus et excelſus. Errant verò qui ſomniant celſus facere ſuperlatiuum ſummus. Nam celſiſsimus legitur apud Plinium & Columellam. Cano te, id eſt, laudo te, vel carmen de te ſcribo. Cano tibi. i. ad tuum honorem.

In natiuitate Ioannis Baptiſtæ.

SAncti Baptiſtæ Chriſti præconis ſolennia celebrantes, moribus ipſum ſequamur. Vt ad vitam quam prædixit, aſſeclas ſuos perducat. Deuoti te ſanctiſsime hominum amice Ieſu Chriſti flagitamus, vt gaudia percipiamus. Apparens, quę Zacha-

riæ Gabriel repromisit, qui tuam celebrarent obsequijs natiuitatem. Vt per hæc festa æterna gaudia adipiscamur. Qua sancti Dei sacris delitijs læti congaudent. Tu qui præparas fidelium corda, ne quid deuium vel lubricum in eis inueniat. Te deposcimus vt crimina nostra & facinora continua prece studeas absoluere. Placatus vt ipse suos semper inuisere fideles, Et mansionem in eis facere dignetur. Et agni vellere (quem tuo digito mundi monstraueras tollere crimina) nos velit inducere. Vt ipsum mereamur angelis associj, in alba veste sequi per portam clarissimam. Amice Christi Ioannes.

Baptista vel baptistes qui baptizat, id est, lauat homines, & cæt. Assecla, qui sequntur aliquem tanquam dominum suum. Deuotus, dicitur qui deuouit se seruitio alicuius. Flagito significat valde rogo Inde efflagito, id est, flagitando acquiro vel impetro. Adipiscor, id est, acquiro, cuius præteritum est adeptus sum. Est autem ab antiquo verbo apiscor aptus sum. Lubricus, id est, immundus & mollis vel limosus, vt anguile cutis est lubrica, & argilla madida est lubrica, Crimen & facinus differunt, nam crimen est minus quam facinus. Item crimen quandoque est criminatio, vel accusatio: facinus accipitur pro omni facto bono vel malo Studere, est conari, vel diligenter facere. Inde studium, diligentia & conatus. Studere etiam significat accipere, vel fauere. Associus, id est, associatus, sicut assus dicitur pro assatus.

In festo Petri & Pauli Apostolorum.

PEtre summe Christi pastor, & Paule gentium doctor, Ecclesiam vestris doctrinis illuminatam, Per circulum terræ precatus adiuuet vester, Nam dñs Petre cælorum tibi claues dono dedit. Armigerum Beniamin Christus te scit suum vasque electum. Mare plantate Petre Christus conculca-

re tuæ dedit charitati. Vmbram tui corporis infirmis debilibusſque fecit medicinam. Doctiloquos philoſophos te Paule Chriſtus dat vincere ſua voce. Multiplices victorias tu Paule Chriſto per populos acquiſiſti. Poſtremò victis omnibus barbaris, ad arcem ſummi pergitis culminis: Germanos diſcordes ſub iugo Chriſti pacatos iam coacturi. Ibi Neronis feriatas principis Apoſtolorum, prælijs plurimis victores, diuerſæ te Petre & Paule addixerat pœnę mortis. Te crux aſſociat, te verò gladius cruentis mittit Chriſto.

Summus, id eſt, altiſsimus, vt ſummus olympus. Quandoque eſt idem quod maximus, vt ſummus Deus, ſumma res. Itẽ quandoque eſt idẽ quod vltimus. Virg. Venit ſumma dies. Eccleſia grecum nomen eſt, quod Latine interpretatur concio. Inde eccleſiaſtes, id eſt, concionator vel prædicator. Armiger, qui gerit arma domini ſui, ſcilicet haſtam vel gladium. Beniamin, fuit vnus de filijs Iacob minimus natu, de cuius progenie fuit S. Paulus, dicitur ergo Beniamin quaſi de tributali. Germanos diſcordes, id eſt, Romanos, qui orti ſunt à duobus Germanis diſcordibus, ſcilicet Romulo et Remo: nam Remus à Remulo fuit occiſus.

Viſitatio Mariæ.

VEni præcelſa domina, Maria tu nos viſita, ægras mentes illumina per ſacra vitæ numina. Veni ſaluatrix ſæculi, ſordes aufer piaculi, in viſitando populũ: pœnæ tollas periculum. Veni regina gentium, dele flammas reatuum, dele quodcunque deuium, da vitam innocentium. Veni vt anum viſites Maria, vires robores virtute ſacri impetus, ne fluctuetur animus. Veni ſtella lux marium: infunde

funde pacis radium, exultet cor in gaudium, Ioannis ante dominum. Veni virga regalium, reduc fluctus errantium ad vnitatem fidei, in qua saluantur cælici. Veni, deposce spiritus sancti dona propensius, vt dirigamur rectius in huius vitæ actionibus. Veni, laudemus filium, laudemus sanctum spiritum, laudemus patrē vnicū, qui nobis det auxiliú.

Maria, Syriace interpretatur domina, Hebraice stella maris. Sordes, est imunditia. Inde sordeo. Virgilius. Quoniam sordent tibi munera nostra. Piaculum, est peccatum, & etiam purgatio pro peccato facta. Reatus, est culpa vel crimen, & venit à reus. Anus quartæ declinationis, est vetus mulier. Inde anicula diminutiuum. Fluctuo vel fluctuor, dicitur indifferenter, id est, erro vel moueor: sed fluctuo est magis in vsu. Virgil. Vario curarum fluctuat æstu. Propendo, significat inclyno. Inde propensus .i. inclinatus. Quint. Ille propensus erat in amorem tui. Cic. Propensior in calamitosos, debet esse beneficētia. Hinc aduerbia propense, propensius, id est, magis propense.

In translatione sancti Martini.

AVe summa præsulum, eia ô Christi gemma, meritis inclyta, virtute lucida. Nos audi tua festa colentes annua, mundo celebria, alme pater, vox nostra te cantat laude sonora. Tu pro nobis spes nostra Martine Deo supplica. Te Asia notum, te Europa laudat, omnis & Africa, gemma cæli fulgidissima. Te Gallia patrem, te Francia tua, supplex ac Phrysia colit te fide catholica. Cæcis das viam, mutisque loquelam, tu nos adiuua. Mundans immunda, qui fugas dæmonia nos hic libera. Qui suscitator trium mortuorum fueras, laxa nostræ mentis vincula. Qui infirma iam curasti corporum plu-

rima,ſana noſtræ mentis vulnera. Qui Chriſtum tua chlamyde partita tectum videras nocte ſecunda. Fac prece tua criminum vt ſoluat nobis debita Chriſti gratia. Laus tua Chriſtus erat quem tota ſemper mente colebas,hunc pro nobis implora. Vt lapſis remedia tribuat,præſtans culpis veniam,hæc precibus impetra. Lux ſuper te effulſit angelica,dũ libans myſtica,nos per te protegat Chriſti dextera. Mortis metam qui tuis prædixeras,nil mortem trepidans, à morte animæ tu nos libera. Traiecti te chorus flagitat, ô Martine,pręſulẽ cum clero commenda. Per tua nos vt ſuffragia, mereamur perfrui iam tecum luce ſuperna.

Summa ſubſtantiue, eſt collectio rerum. Virgilius. Nauiget hæc ſumma eſt. Sed tamen hic eſt adiectiuum. Annuus, id eſt, ſingulis annis veniens: vt annua feſta. Etiam annuus, pertinens ad annum. vel faciens annum, vt annuum tempus. Almus, id eſt, venerabilis, vel egregius. Totus orbis terræ diuiditur in Aſiam, Europam & Africam. Nam Aſia habet medium orbem, incipiens ab Oriente. Alteram partem orbis diuidunt in Europam & Africam, ſed Europa minor eſt, habens Græciam Galliam, Germaniam, & Datiam, Angliam, & Hiſpaniam. Gallia incipit ab Italia inter Germaniam & Hiſpaniam. Francia, pars eſt Galliæ interior. Chlamys, eſt veſtis militaris. een mantel. Partior, partiris, id eſt, partes facio. Virgilius. Hinc portum petit, & ſocios partitur in omnes. Inde bipartior, tripartior, impartio vel impartior. Libare, guſtare vel attingere. Virgilius. Vlla nec amnem libauit quadrupes. Idem: Oſcula libauit natæ. Etiam ſignificat offerre. Idẽ: Dixit et in menſa laticum libauit honorem. Liba, ſunt panes immolatij. Meta eſt terminus. Inde verbum metor metaris, id eſt, pono. Etiam eſt inferior pars molæ. Suffragia, ſunt preces pro alio, vel voces in electione. Suffragari, eſt voce iuuare.

In diuiſione Apoſtolorum.

CAEli enarrant gloriam Dei filij, verbi incarnati facti de terra cæli. Hæc enim gloria soli domino est congrua, Nomen est cuius magni consilij angelus. Illud consilium lapso homini auxilium est, antiquum & profundum & verum factum, solis tantum sanctis cognitum. Cum angelus iste homo natus ex muliere immortale ex mortali de terra fecit cælum, ex homine angelum. Hic est dominus exercituum Deus, cuius sunt angeli missi in terram Apostoli. Quibus seipsum viuum præbuit resurgens in multis argumentis, pacé mortis victor nuncians. Pax vobis, ego sum inquit, nolite iam timere, prædicate verbum Dei creaturæ omni coram regibus & principibus. Sicut misit me pater & ego mitto vos in mundum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, estote vt columbæ simplices. Hinc Petrus Romam Apostolorum princeps adijt, Paulus Græciam, vbique docens gratiam. Ter quatuor hi proceres, in plagis terræ quatuor euangelizantes trinum & vnum. Andreas, Iacobus vterq;. Philippus, Bartholomæus, Simon, Thaddæus, Ioannes, Thomas, Mathias & Matthæus. Duodecim iudices, non ab vno sed ad vnum diuisi, per orbem diuisos in vnum colligunt. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Quam speciosi pedes euangelizantium bona, prædicantium pacem. Sanguine Christi redemptus ita dicentium. Sion regnabit Deus tuus.

Qui

Qui verbo sæcula fecit, quod pro nobis verbum caro factum est in fine sæculorum. Hoc verbum quod prædicamus Christum crucifixum, qui viuit & regnat Deus in cælis. Hi sunt cæli, in quibus Christe habitas, in quorum verbis tonas, fulguras, signis roras gratiam. His dixisti, rorate cæli desuper & nubes pluāt iustum, aperiatur terra germinans. Germen iustum, suscita terram nostram, quam Apostolicis verbis serens germinare facias. Quorum verbis verbum patris tenentes in patientia, fructū ferre fac nos tibi domine. Hi sunt cæli quos magni consilij angelus inhabitas, quos non seruos sed amicos appellas, quibus omnia quæ audisti à patre notificas. In quorum diuisione collectum gregem custodias indiuisum, & in vinculo pacis vnum vt in te vno simus, sicut in patre tu es vnus. Miserere nobis tu, qui habitas rex in cælis. Amen.

Cælum, quandoque dicitur tota Dei machina, alio nomine mundus, quandoque est aër, quandoque locus beatorum. At etiam summitas oris, alio nomine palatum. Est etiam instrumentum cælandi vel sculpendi. Incarnatus, caro factus. Congruus, id est, conueniens vel aptus, à verbo congruo, quod est conuenio. Terentius: Mulier mulieri magis congruit. Apostolus est Græcum nomen, Latine dicitur missus vel legatus. Argumentum est idem quod probatio, à verbo arguo, quod proprie significat probo. Plaut. Non ex auditu argue. Omnis creatura dicitur homo, quia cum omni creatura habet participationem. Plaga, prima producta, significat ictum. Sed prima correpta, significat regionem. Virgilius. Aethera quos lapsa plaga Iouis ales aperto, Turbabat cælo. Etiam significat rete vel foramen retis. Virgilius: Retia rara plagæ. Thaddæus, est Apostolus, qui alio nomine dicitur Iudas, sed ad differentiam traditoris vocatur Thaddæus: quamuis Hieronymus vocat eum Lebbæus. Orbis, id est, circuitus vel rotunditas. Virgilius. Immensis orbibus angues.

angues. Inde orbiculus, id est, paruus orbis. Ponitur etiam pro terra orbis. Iuuen. Quippe aliter tunc orbe nouo, cæloque recenti Viuebãt homines. Euangelium Græce, bona nunciatio Latine. Inde Euangelizo, id est bona nuncio. Fulgurare, est fulgur emittere: & quia ad solum Deum pertinet, ponitur solum in tertia persona, nisi quando ad ipsum Deum loquimur, vel quando Deus loquens inducitur. Idem est de tonat, rorat ac cæteris. Nubes pluant iustum, id est, demittant iustum. Nam hoc verbum ponitur hic improprie cum accusatiuo. Pluo, iungitur ablatiuo: vt pluit lapidibus. Germen, est nouus ramus. Inde germinare, id est, germen producere, vel crescere. Appello, apellas, id est, alloquor vel nomino. Appello, appellis, id est, adduco, vt vnius appellit nauem littore.

In festo Mariæ Magdalenæ.

LAus tibi Christe, qui es creator & redemptor, idem & saluator, cæli, terræ, maris, angelorum & hominum. Quem solum Deum confitemur & hominẽ. Qui peccatores venisti vt saluos faceres. Sine peccato peccati assumens formulam. Quorũ de grege vt Chananæam Mariam visitasti Magdalenam, Eadem mensa verbi diuini illam micis, hanc refouens poculis. In domo Simonis leprosi conuiuijs accubans typicis. Murmurat Pharisæus, vbi plorat fœmina criminis conscia. Peccator contemnit compeccantem, peccati nescius pœnitentem exaudis, emundas fœdam, adamas vt pulchram facias. Pedes amplectitur dominicos, lachrymis lauat, tergit crinibus, lauando, tergendo, vnguento vngit, osculis circuit. Hæc sunt conuiuia, quæ tibi placent ô patris sapientia. Natus de virgine qui nõ dedignaris tangi à peccatrice. A Pharisæo es iniutatus

tatus. Mariæ ferculis ſaturatus. Multũ dimittis multũ amãti, nec crimẽ poſtea repetenti. Dæmonijs eã ſeptem mundas ſeptiformi ſpiritu. Ex mortuis reſurgentem te das cunctis videre priorẽ. Hac Chriſte proſelytam ſignas eccleſiam, quam ad filiorum menſam vocas alienigenam. Quam inter conuiuia legis & gratiæ ſpernit Phariſæi faſtus lepra vexat hæretica. Qualis ſit tu ſcis, tangit te, quia peccatrix & veniæ optatrix. Quidnam haberet ægra, ſi non accepiſſet, ſi non medicus adeſſet? Rex regum diues in omnes, nos ſalua, peccatorum tergens cuncta crimina, ſanctorum ſpes & gloria. Amen.

Creare, venit à Græco nomine creas, quod eſt caro, & non ſemper ſignificat de nihilo facere. Nam ſæpe legimus. Populus illũ creauit conſulem, & cætera Cæli, terræ, maris. Hic eſt color rethoricus, qui vocatur articulus, & eſt quando multæ dictiones continuantur ſine coniunctione. Chananæi, erant gentiles prope Iudæam habitantes, ex quibus mulier Chriſtum inſtantius orauit, vt filiam ſuam ſanaret, quod tandem impetrauit cùm diceret: Nam & catelli edunt de micis. Mica, eſt paruum fruſtum cuiuſque rei. Typos Græce, ſigura Latine. Inde typicus, id eſt figuratiuus. Phariſæi erãt doctores, & velut religioſi Iudæorum, habitu & actu diuiſi à cæteris Iudæis. Fœtus, a, um, id eſt, turpis. Vnde defœdare, id eſt, facere fœdum. Amplecti, eſt circundare vel oſculari. Vnguentum non eſt quod vulneribus adhibetur, ſed eſt precioſa commixtio aromatum quo corpus vngitur voluptatis cauſa. Ferculum, eſt vas in quo cibus fertur ad menſam, & ponitur pro cibis ipſis. Etiam eſt currus aut lectica qua feruntur homines. Proſelytus, penultima producta, dicitur aduena, vel peregrinus, vel alienigena. Dicit ergo quod per hanc Mariam ſignificatur eccleſia de gentibus ad fidem conuerſa. Faſtus, eſt faſtidium vel ſuperbia. Diues in omnes, id eſt, benignus erga oẽs. Tergere, eſt purgare, ſecundæ vel tertiæ coniugatiõis.

De ſancto Iacobo.

Gaudeat

GAudeat Hiſpania, totaque Germania iubilet in domino. De triumpho nobili Iacobi Apoſtoli, Compoſtellæ conditi, Zebedæi filium, Chriſti conſanguineum narrat hunc hiſtoria. Hic vt ſolis radius, fulget in primatibus, viſa Chriſti gloria. A Ioſia capitur ad Herodem trahitur, funem collo baiulans. Videt paralyticum cui fert auxilium, ad tormentum ambulans. Ioſias compungitur, pedibus adiungitur, Iacobi pro lauacro. Qui poſt pacis oſculum tranſmigrat ad dominũ, ſecum cadens gladio. O fœlix Apoſtole, magne martyr Iacobe, te colentes adiuua. Peregrinos vndique tuos clemens protege, ducens ad cæleſtia.

Iubilare, eſt præ lætitia vociferari. Hiſpania, eſt regio Europæ latiſſima inter Aphricam & Galliam. Hiſpaniæ pars eſt Galliſia, vbi quieſcit ſanctus Iacobus maior. Primates, ſunt primi homines vel ſupremi. Funus, eſt reſtis Inde funiculus. id eſt, paruus funis. Paralyſis, interpretatur diſſolutio, & eſt languor neruorũ. Inde paralyticus, qui patitur paralyſim. Migrare, eſt diſcedere vel mutare domicilium, et habet i breue naturaliter, ergo tranſmigro, emigro, corripiunt mediam. Cadere, quandoque ſignificat mori. Vir. Cadit & Ripheus iuſtiſſimus vnus.

De ſancto Laurentio.

LAurenti Dauid magni martyr, mileſque fortis, Tu imperatoris tribunal, tu manus tortorum cruentas ſpreniſti, ſecutus deſiderabilem atque manu fortem. Qui ſolus potuit regna ſuperare tyranni crudelis. Cuiuſque ſanctos ſanguinis prodigos fecit amor milites eius. Dummodo illum liceat cernere diſpendio vitæ præſentis. Cæ-

ſaris tu faces contemnis, & iudicis minas derides. Carnifex vngulas,& vſtor craticulam vane conſumunt.Dolet impius vrbis præfectus victus piſce aſſato Chriſti cibo. Gaudet domini conuiua, fauo cum reſurgente Chriſto ſaturatus. O Laurenti militum Dauid inuictiſsime regis æterni. Apud illum ſeruulis ipſius deprecare veniam ſemper, Martyr miles,mileſque fortis.

Dauid interpretatur manu fortis vel deſiderabilis, & ponitur pro Chriſto. Deſiderabilis, eſt qui poteſt, vel debet deſiderari. Miles dicitur, quicunque militat, id eſt, qui meretur ſtipendium. Cuius amor facit ſanctos milites eius, prodigos ſanguinis, id eſt, vt libenter fundant ſanguinem pro ipſo. Diſpendium, eſt damnum vel amiſsio. Carnifex, eſt qui ſpiculator dicitur vulgo. Vngula, eſt cornu quod equi & boues & cætera animalia habent ad pedes: hic ponitur pro inſtrumento torquendi. Fauus, eſt mel non expreſſum, ſed adhuc in ſuis cauernis. Inuictus, quaſi non victus, id eſt, fortis & potens. Deprecari, propriè eſt precibus auertere, vt deprecor tibi mortem, id eſt, precor ne moriaris.

In aſſumptione Mariæ.

Congaudent angelorum chori glorioſæ virgini. Quæ ſine virili commixtione genuit filium qui ſuo modum cruore medicat. Nam ipſa lætatur quod cæli iam conſpicatur principem. In terris cui quondam ſugendas virgo mamillas præbuit. Quam celebris angelis Maria mater Ieſu creditur. Qui filijs illius debitos ſe cognoſcunt famulos? Qua gloria in cælis iſta virgo colitur. Quæ domino præbuit hoſpitiũ ſui ſanctiſsimi corporis. Quã ſplendida, poli ſtella maris rutilat quæ omnium

lumen

lumen aſtrorum & hominum atque ſptrituum genuit? Te cæli regina hæc plebecula pijs concelebrat mentibus. Te cantu melodo ſuper æthera vna cum angelis eleuat. Te libri virgo concinunt prophetarum, chorus iubilat ſacerdotum, apoſtoli, Chriſtique martyres prædicant. Te plebes ſexus ſequitur vtriuſque, vitam diligens virginalem, cælicolas in caſtimonia æmulans Eccleſia ergò cuncta te cordibus atqne carminibus venerans. Tibi ſuam manifeſtat deuotionem precatu te ſupplici implorans Maria. Vt ſibi auxilium circa Chriſtum dominum eſſe digneris per æuum.

Con præpoſitio inſeparabilis, ſæpe facit verbum cũ quo componitur regere datiuum, vt congaudio tibi. Medico vel medicor dicitur: & indifferenter regunt datiuum vel accuſatiuum. Plautus: Iſthic ſedens medicabo tibi. idem: Ego iſtum lepidè medicabo. Conſpicor, conſpicaris, id eſt, conſpicio. Mamilla, eſt idem quod mamma, ſed ſcribitur vno m, quia prima ſyllaba breuis eſt. Iuuenalis: Illa loqui recta facie ſtrictiſque mamillis. Rutilus, id eſt, rubens ſicut ignis. Inde rutilare .i. ſplendere. Aſtron Græcè dicitur, ſydus latinè: Sed aſter græcè, ſtella latinè, à quo fit aſteriſcus, id eſt, parua ſtella. Plebecula, parua plebs: ſed plebicola qui colit plebem. Melodus, o producta id eſt, dulciter ſonans. Plebes vel plebs dicitur indifferenter. Lucanus: Neſcit plebes ieiuna timere. Ergo hic legatur plebes et non plebis, ſic conſtruendo ô Maria plebes vtriuſque ſexus ſequitur te. Aemulari, eſt imitari. Etiam ſignificant amare, etiam inuidere. Nam æmulus dicitur inuidus, ſed æmulans, ſignificat imitans, Caſtimonia, id eſt, caſtitas, ſicut ſanctimonia, ſanctitas, parſimonia, parcitas, & cæt.

In octaua aſſumptionis Mariæ.

AVe præclara maris ſtella, in lucem gentiũ Maria diuinitus orta. Euge Dei porta, quæ non

aperta veritatis lumen ipſum ſolem iuſtitiæ indutū carne ducis in orbem. Virgo decus mundi, regina cæli, præelecta vt ſol, pulchra lunaris vt fulgor, agnoſce omnes te diligentes. Te plenam fide, virgam almæ ſtirpis Ieſſe naſcituram priores deſiderauerunt patres & prophetæ. Te lignum vitæ, ſancto rorante pneumate parituram diuini floris amygdalum, ſignauit Gabriel. Tu agnum regem terræ dominatorem, Moabitici de petra deſerti ad mortem filiæ Syon traduxiſti. Tuque furentem Leuiathan ſerpentem tortuoſumque & vectem collidens, damnoſo crimine mundum exemiſti. Hinc gentiū nos reliquiæ tuæ ſub cultu memoriæ, mirum in modum quem es enixa propitiationis agnum, regnantem cælo æternaliter, reuocamus ad aram mactandum myſterialiter. Hinc manna verum Iſraelitis veris, veri Abrahæ filijs admirantibus, quondā Moyſi quod typus figurabat, iam nunc abducto velo datur perſpici: ora virgo nos illo pane cæli dignos effici. Fac fontem dulcem quem in deſerto petra præmonſtrauit, deguſtare cum ſyncera fide, renesque conſtringi lotos in mari, anguem æneum in cruce ſpeculari. Fac igni ſancto patriſque verbo, quod rubus vt flammam tu portaſti virgo mater facta, pecuali pelle diſtinctos pede, mundis labijs, cordeque propinquare. Audi nos, nam te filius nihil negans honorat. Salua nos Ieſu pro quibus virgo mater te orat. Da fontem boni viſere, da

puros

puros mentis oculos in te defigere. Quo hauſtu ſapientiæ ſaporem vitæ valeat mens intelligere. Chriſtianiſsimi fidem operibus redimire, beatoque fine ex huius incolatu ſæculi author ad te tranſire. Amen.

Maria Hebraice interpretatur ſtella maris. Diuinitus, id eſt, diuina diſpoſitione, eſt enim aduerbium. Euge, eſt interiectio lætantis, & quandoque deridentis. Lumen veritatis & ſol iuſtitiæ Chriſtus eſt, ſic dictus, quia veritatem & iuſtitiam exercet. Fulgur & fulgor dicitur, ſed hic oportet vt legatur fulgor, cum habeat adiectiuum maſculini generis, ſcilicet lunaris. Ieſſe, fuit pater regis Dauid, de cuius progenie fuit Maria, vnde dicitur virga ſtirpis Ieſſe. Amygdalum vel amygdala, eſt ſpecies nucis, een amandel. Petra, eſt hic nomen ciuitatis, quæ fuit in terra Moab vel in Arabia, & in deſerto ſita. Filia Sion, eſt Ieruſalem, quia Sion fuit arx in Ieruſalem. Leuiathan, dicitur ſerpens tortuoſus in aqua & ponitur pro Diabolo, ſicut & vectis, cùm propriè vectis ſit inſtrumētum ferreum aut ligneum, quo aliquid vehitur, aut portatur aut promouetur aut ſubuertitur. Veri Iſraëlitæ ſunt Chriſtiani, qui per fidem vident Deum. Olim Iudæi dicebantur Iſraëlitæ, id eſt, filij Iſraël. Typus, eſt forma vel figura, nomen græcum. Fons in deſerto olim fluxit de petra percuſſa per Moyſen, qui fons ſignificat ſanguinem de vulneribus Chriſti profluentem. Anguem æneum, id eſt, Chriſtum, qui olim figuratus fuit per anguem æneum, quem Moyſes erexerat. Moyſes videt rubum ignitum, ſed illæſum, quò cum vellet accedere, dixit angelus ei: Solue calceamenta de pedibus tuis, & cæt. Rubus ignitus, eſt Maria ſpiritu ſancto plena, & cæt. Negare, eſt non dare, teut. weygheren. Etiam eſt nō concedere quod dicitur. Hauſtus, eſt potio. Ouidius: Hauſtus aquæ mihi nectar erit. Chriſtianiſmus, eſt Chriſtianitas, vel mos Chriſtianorum. Incolatus, id eſt, peregrinatio. Nam incola dicitur peregrinus.

De ſancto Auguſtino.

INterni feſti gaudia, noſtra ſonat harmonia. Quo mens in ſe pacifica, vera frequenter ſabbata. Mundi cordis lætitia, odorans vera gaudia. Quibus prægustet auida, quæ ſit ſanctorum gloria. Qua

lætatur in patria, cælicolarum curia. Regem donantem præmia, sua cernens in gloria. Beata illa patria, quæ nescit nisi gaudia. Nam ciues huius patriæ, nõ cessant laudes canere. Quos ille dulcor afficit, quẽ nullus mœror inficit, quem nullus hostis impetit, nullusque turbo concutit. Ibi dies clarissima, melior est quam millia. Luce lucens præfulgida, plena Dei notitia. Quam mens humana capere, nec lingua valet promere. Donec vitæ victoria, commutet hæc mortalia. Quando Deus est omnia, vita, virtus, scientia, Victus, vestis, & cætera quæ velle potest mens pia. Hoc in valle misera, meditetur mens sobria, hoc per soporem sentiat, hoc attendat dum vigilat. Quo mundi post exilia coronetur in patria. Ac in decoris gloria, regem laudet per sæcula. Harum laudum præconia imitatur ecclesia. Dum recensentur annua, sanctorum natalitia. Dum post peracta prælia, digna redduntur præmia. Pro passione rosea, pro castitate candida. Datur & torques aurea pro doctrina catholica. Qua præfulget Augustinus in summi regis curia. Cuius librorum copia, fides firmatu vnica. Hinc & mater ecclesia, vitat errorum deuia. Huius sequi vestigia, ac prædicare dogmata, Fide recta ac feruida, det nobis mater gratiæ.

Harmonia Græcum nomen, latine concordia vel concentus. Sabbatum Hebraice dicitur requies, & potest accipi pro festo die. Frequentare, est frequenter vti, vel frequenter adire, vt frequento scholam vel forum. Curia, est proprie domus consilij. Etiam est progenies vel familia. Inde curialis, id est, contribulis. Patria, est

locus natiuitatis. Impropriè ponitur pro regione vel prouincia. Dulcor, id est, dulcedo. Mœror, id est, mæstitia vel interna tristitia, &c. Inficere, est immutare qualitatem rei, vt fœtor inficit aëra. Impeto, significat in malum peto, vel impetum facio. Turbo, est turbatio vel volubilitas & commotio venti. Præconium, est promulgatio vel clamor. Imitari, est sequi mores alterius. Natalis, vel natale, dicitur dies natiuitatis. Inde natalitius, a, um, pertinens ad natalem. Et substantiuatur in neutro genere pro natali. Hic torquis, vel hæc torques, est ornamentum ex auro & argento contortum. Catholicus, id est, vniuersalis, & est Græcum nomen. Dogma, non significat doctrinam, sed modum viuendi vel statutum.

In decollatione Ioannis Baptistæ.

PSallite regi nostro, psallite, psallite, psallite prudenter. Nam psalterium est iucundum cum cithara. Nato virginis quo psallens natus sterilis. Citharam carnis percussit in domo domini. Dũ quod sonat clamando, docuit viuendo. Præparans Christo plebem perfectam Ioannes, vox clamantis in deserto. Sed vox hęc impium Herodem quem corripit, minimè corrigit, Haud tamen tacuit, sed adusque sanguinem sceleri restitit. Non licet, inquit, te fratris tui habere coniugem raptam sibi, peccasti, quiesce, pœnitentibus sic præcepit dominus. Vocem incantantis sapienter Herodes vt aspis surda spernit vt iustum, vt sanctum Ioannem timet quem vinxit in carcere. Sedet in tenebris lucerna lucis, amicus omnipotentis. Studet delicijs mundi principis filius perditionis. Meretrix suadet, puella saltat, rex iubet, sanctus decollatur. Dat rex saltanti caput Ioannis, qui sanctus antequam sit natus. En

 quomodo

quomodo perit iustus,quasi non esset Deo dilectus Cùm sit eius preciosa mors hæc in conspectu domini.Nos corde percipimus qualis ac quantus est, quia vicinus dignitate Christo sit & morte. Nam morte turpisima damnatur sponsus sponsi,& amicum damnant morte recte turpisima.Carcere carnis ductum, quem ferunt psallendo cælis angeli angelum,Et nos in terris tibi psallere fac Christe in memoriam Baptistæ.Herodis spreta quo mensa altaris tui mensa ipsum te dum sumimus,semper tibi psallamus. Amen.

Psallo est verbum Græcum,significans Latine,ludo in Musicis instrumentis.Inde psaltes,id est,organista vel citharista. Et psaltria,dicitur talis mulier. Psalterium,est instrumentum quoddam musicum.Psalmus,est carmen lyricum. Psalmista,qui facit psalmos,vt Dauid.Corrigo,id est,emendo.Terentius,Si quid peccatum est,id arte corrigas.Corripio,significat arguo,& quandoque velociter accipio.Virgilius.Celeresque sagittas corripuit.Vtroque modo bene dicitur,non licet te habere, & tibi habere. Aspis,est species serpentis,quæ cum audit incantatorem,aures obstruit, vnam terræ applicans,in altera verò caudam torquens. Lucerna, est lumen in laterna conclusum. Saltare,est quod vulgus chorizare dicit.Meretrix suadet, & cæt.In hoc versu est color rethoricus, qui dicitur dissolutio,quia clausulæ carent coniunctionibus.Est & alius color, scilicet breuitas,nam tota decollationis Ioannis historia quàm breuissime narratur,Vicinus,à vico dicitur.s. in eodem vico habitans. Nam vicus est coniuncta multitudo domorum,siue in vrbe siue foris.Carcer.omnis locus in quo aliquid includitur coërcendo. Virgil. AEolus,& clauso ventorum carcere regnat.Altare vel altar, vel altarium,indifferenter dicimus,& fit à nomine altus,quia alto loco sunt altaria. Ferunt cælis,id est,ad cælos. Virgilius. It clamor cælo.Mensa Herodis,hic intelligitur conuiuium malignum, quale fuit conuiuium Herodis,in quo iustus occisus est.

In natiuitate Mariæ.

Stirpe

STirpe Maria regia procreata, regem generans Iesum. Laude digna angelorum ſanctorum. Et nos peccatores tibi deuotos intuere benigna. Tu pios patrum mores oſtentas in te, ſed excellis eoſdem. Patris tui Salomonis in te lucet ſophia. Et Iezechiæ apud Deum correctum, ſed nunquam in te corrumpendum. Patris Ioſiæ adimpleuit te religioſitas. Summi etiam patriarchæ te fides totam poſſedit patris tui. Sed quid nos iſtos recenſemus heroas? Cum tuus natus omnes præcellat illos atque cunctos per orbem. Nos hac die tibi gregatos ſerua virgo, in lucem mundi qua prodiſti, paritura cælorum lumen.

Stirps, propriè eſt truncus vel radix, & ita ſæpius ponitur maſc. generis. Etiam ſignificat progemem, & ſic eſt fœminini generis. Virgilius. Heu ſtirpem inuiſam. Intuere, penultima correpta legendum eſt, quia eſt imperatiuus ab intueor, cuius infinitiuus eſt intui: licet tuor facit tueri ſecundum grammaticos. Sophia græcè, ſapientia latine, habet penultimam breuem. Iezechias, rex Ieruſalem & religioſus. Heros græce, dicitur magnus princeps latine, genitiuo herois, accuſatiuo ſingulari heroa, pluraliter heroas, habet ſemper o productam. Baptiſta Mant. Effigies herois erat qui fortibus armis. Statius: Gaudentes heroa ferunt. Virgilius. Dilectos heroas, erunt etiam altera bella. Prodire, *ſignificat procedere, à pro & eo. Ouid. Prodit anus diuamque videt, & cæt.*

In exaltatione ſanctæ crucis.

LAudes crucis attollamus, nos qui crucis exultamus ſpeciali gloria. Dulce melos tangat cælos dulce lignum dulci dignum credimus melodia:

Voci vita non discordet, dum vox vitam nō remordet, dulcis est symphonia. Serui crucis crucem laudent, qui per crucem sibi gaudent vitæ dari munera. Dicant omnes & dicant singuli, aue salus totius sæculi, arbor salutifera. O quam fœlix, quam præclara fuit hæc salutis ara, rubens agni sanguine. Agni sine macula, qui mundauit sæcula ab antiquo crimine. Hæc est scala peccatorum, per quā Christus rex cælorum, ad se traxit omnia. Forma cuius hoc ostendit quæ terrarum comprehendit quatuor confinia. Non sunt noua sacramenta, nec recenter est inuenta, crucis hæc religio. Ista dulces aquas fecit, per quam silex aquas iecit Moysi officio. Nulla salus est in domo, nisi cruce munit homo super liminaria. Neque sensit gladium, nec amisit filium, quisquis egit talia. Ligna legens in Sarepta, spem salutis est adepta pauper muliercula. Sine lychnis fidei, nec lechytus olei valet nec farinula. Roma naues vniuersas in profundum vidit mersas, vna cum Maxentio. Fusi Thraces, cæsi Persæ, sed & partis dux aduersæ, victus ab Heracleo. In scripturis sub figuris ista latent, sed iam patent crucis beneficia. Reges creduut, hostes cędunt, sola cruce Christo duce vnus fugat millia. Ista suos fortiores, semper facit & victores, morbos sanat & languores, reprimit dæmonia. Dat captiuis libertatem, vitæ confert nouitatem, ad antiquam dignitatem, crux reduxit omnia. O crux lignum triumphale, vera mundi salus

lus vale, inter lingna nullum tale, fronde, flore, germine. Medicina Christiana, salua sanos, ęgros sana, quod nonvalet vis humana, fit in tuo nomine. Assistentes crucis laudi, consecrator crucis audi, atque seruos tuæ crucis, post hanc vitam verę lucis, transfer ad Palatia. Quos tormento vis seruire, fac tormenta non sentire, sed cùm dies venit iræ, confer nobis & largire sempiterna gaudia.

Crux, olim erat pro patibulo, quod nunc exoleuit, reuerentia crucis Christi. Horatius. Non hominem occidi, non pasces in cruce coruos. Capitur etiam pro pœna. Inde cruciare, punire. Melodia, dulcis cantus. Symphonia i, correpta, dicitur latine consonantia vel concentus. Horatius. Vt gratas inter mēsas Symphonia discors. Dicant omnes. s. vna vel simul: & dicant singuli, id est, quisque per se separatim. Ara, prima producta & sine aspiratione, significat altare, sed prima correpta cum aspiratione, significat stabulum porcorum. Ouidius. Tertius immundæ cura fidelis haræ. Scala, numero singulari, id est, quod vulgus gradū dicit. Sed Scalæ pluraliter sunt quibus scanduntur arbores aut muri. Nam scala immobilis est, scalæ vero portantur. Moyses in deserto aquas immisso ligno dulcorauit, ligno etiam de petra aquam produxit, per quod lignum sancta crux significata fuit. Superliminare, est superius limen, aut lignum supra ianuam. Sarepta, fuit oppidum Sidoniorum, ad quod veniens Elias à paupere vidua sustentatus, ipsam quoque sustentauit. Lecythus, media correpta, est vasculum. Thraces, sunt populus scythycus circa Constantinopolim. Persæ, sunt populi in Asia maiori, non procul à veteri Babylone. Maxentius, fuit Tyrannus, quem Constantinus virtute crucis superauit. Heracleus, fuit imperator qui virtute crucis superauit Cosdroen regem Persarum. Vale, licet proprie sit salutatio discedentium, vel ad discedentes, tamen hic pro salue vel aue accipitur, causa rythmi. Sanus, dicitur qui bene valet aut corpore aut mente. Inde vesanus vel insanus dicitur, qui mente captus est. Æger dicitur, qui aut corpore aut animo minus valet: vnde accipitur pro tristi. Virgilius. Protinus æger ago. Tormentum à torqueo, quandoque pœnam significat, quandoque instrumentum bellicum quo torquentur, id est, iaciuntur lapides aut sagitiæ. Ouid. Mittit in Euboicas tormento fortius vndas.

Michaêlis archangeli.

SVmmi regis archangele Michaêl, intende quæsumus nostris precibus. Te namque profitemur esse supernorum ciuium principem. Tu Deum obsecra pro nobis, vt mittat auxilium miseris. Principalis est potestas à domino tibi data, peccantes saluificare animas. Idem tenens perpetui potentiam paradisi, omnes ciues te adorant superi. Tu in templo Dei thuribulum aureum visus es habuisse manibus. Inde scandens vapor aromate plurimũ peruenit ante conspectum Dei. Quando cum dracone magnum perfecisti prælium, faucibus illius animas eruisti plurimas. Hinc maximum agebatur in cælo silentium, millia millium dicebant, salus regi domino. Audi nos Michael archangele summe, tu palam descende de poli sede, nobis ferendo opem domini atque leuamen indulgentiæ. Tu nostros Gabriel hostes prosterne. Tu Raphael ægris affer medelam, morbos absterge, noxas dilue, nosque fac interesse gaudijs beatorum. Amen.

Archos Græce, princeps Latine. Archangelus, id est, princeps Angelorum. Angelus Græce, nuncius Latine interpretatur. Michaël interpretatur quis vt Deus. Profiteri, est *aperte fateri. Vnde professores artium dicuntur, qui aperte fatentur se illas artes scire. Thuribulum, est vasculum in quo thus crematur. Vapor, est fumus. Aroma Græcè, odoramentum Latine. Silentium, est quies, cum nullus fit strepitus. Taciturnitas verò, cum nullus fit sermo. Sedes non est sedile, sed locus. Virgilius. Tendimus in latium, sedes vbi fata quietas Ostendunt. Medela, id est, medicina. Noxa, dicitur culpa.*

Teren-

Terentius: Sum extra noxam. Inde noxius, noxia, noxium, id est, nocens vel culpabilis.

Gereonis, Victoris, & Mauritij.

MAiestati sacro sanctæ, militans cũ triumphante iubilet ecclesia. De triumpho Thebæorum, salute peccatorum per horum suffragia. Hi sunt viri testamenti, qui ruinam detrimenti reparant angelici. Viri fortes veri Dauid, quibus hostes expugnauit, carmen, mundum, dæmonem. Ciues domus Pharonis, ciuitatem visionis, visitant & præsulem. A quo sacri catechismi, sacramentis & baptismi, imbuuntur gratia. Romæ fide confirmati, castra mouent comitati, Romanorum aquilas. Dijs prophanis immolari iubet Cæsar & vocari Thebæorum agmina. Sed Thebæi viri Dei, quæ sunt Dei reddunt ei: Cæsari, quæ cæsaris. Bis viritim decimati, summæ libant maiestati, decimarum decimam. Demum cunctis immolatis in odorem suauiratis, differuntur aliqui. Qui in partes distributi, distributi sunt saluti, plurium fidelium. In Verona, Agrippina, & in Troia loca trina, consecrant martyrio. Holocaustum partiale, nulla tamen sine sale, fœderis oblatio. Cum trecentis & bis nonis, signat comes Gereonis, Abrahæ victoriam. Bis quindenis & ter centum, duplex victor testamentum, & crucis mysterium. Pius, castus cum septenis, septiformi dono plenis, dono sancti pneumatis

tis.Iesu bone,cuius dona nostra bona, qui corona es tuorum militum. Hac patrona legione, nos in bonis summe bone loca potioribus.Vbi patris, vbi tui,& amoris sacri frui mereamur gloria. Amen.

Militans ecclesia,est multitudo Christianorum in hoc sæculo. Triumphans ecclesia,est multitudo cælestium.Thebæ,huius thebes, grandis vrbs in AEgypto,vnde Thebæi dicti sunt. Thebæ thebarũ, vrbs in Græcia,vnde Thebani Ierusalem interpretatur visio pacis Catechismus:est instructio vel doctrina.Castra,sunt tentoria militum,vel ipsi milites.Aquilæ,erant principalia signa aut vexilla Romanorum,vnde pro vexillis accipimus.Luc.Romanas aquilas aliam laturus in vrbem.Viritim,id est, per singulos viros.Tullius. Agrum gallicum viritim diuidenti,&cæt. Decimare,est dare decimas.Decimæ,sunt rerum decimæ partes. Verona, est clara vrbs Venetiæ,sed hic Bonnam circa Coloniam significat. Colonia Agrippina dicitur,ab Agrippa principe condita temporibus Augusti.Troia,hic intelligitur ciuitas Xanthis,cui nomen Xanthus fluuius Troianus.Holocaustum,dicitur oblatio,quæ tota comburebatur. Nam holos Græce,dicitur totus, caustum vero,vstum significat,Vnde encaustum,id est,inustum. Abraham cum trecentis & octodecim famulis ad bella profectus,superauit quinque reges gentiles, qui Lot nepotem suum & alios multos abduxerant captiuos. Tot etiam comites aut socios habuit sanctus Gereon. Sanctus autem victor habuit socios trecentos triginta.& cæt.

Vndecim millium virginum.

VIrginalis turma sexus,Iesu Christi,quæ connexus,dono sentis gratiæ.Flos candoris tui rubet trucidari dum te iubet tortor pudicitię.Britannorũ insulæ rector, pater Vrsulæ,Deo notus claruit. Hãc Conanus virginem propter pulchritudinem, parẽ thori voluit.Procos mittit & precatur,nimis terret si spernatur, sibi poscens Vrsulam. Pater eius iam baptismi

baptiſmi fonte lotus,paganiſmi prorſus vitat copu lam. Interim Vrſula Chriſti diſciplina docta per ſomnium Strauit nuptias,quærens inducias trimatus ſpacium.Vice dotis coniugij reginæ votis habiles,dato ſumptu nauigij, coæuæ dantur nobiles.Vndena demum millia ſponſæ tranſmittit virginum, ducunt naues per maria, curam ſpernentes hominum.Aura flante lenius diſcedunt à littore, huc illucq́ue ſæpius plano ludunt æquore. Hinc manus fœminea rexit dante domino naues, quas Baſilea breui vidit termino. Relictis nauibus,ordinãt acies,ventis ac æſtibus exponunt facies, & Romã adeunt.Per monaſteria fundentes lachrymas, trahunt ſuſpiria,commendant animas ſanctis, & redeunt. Quam in portu reliquerunt claſſem, ſimul inuenerunt,clarum flumen & amœnum nauigantes intrant Rhenum per Dei clementiam. Hinc ad locum paſsionis duxit eas dux agonis, florem ſuæ iuuentutis paruipendunt ſpe ſalutis euntes Coloniam.O fælix Colonia,iuxta cuius mœnia barbarorum rabies, enſes,tela, frameas,cultros,in virgineas cruentauit acies.Fœlicia ſunt virginum connubia tot millium,agnumq́; ſine macula, duce ſequuntur Vrſula. Quarum orationibus fœlices cũ fœlicibus pace fruamur ſedula,per ſæculorum ſæcula. Amen.

Turma, eſt proprie numerus triginta equitum dicta quaſi terma,ſed impropriè ponitur pro omni multitudine.Trucido,i,producta,idem quod occido. Virgilius.

Fit via,vt rumpunt aditus,primoſq́; trucidant.

Britanni

Britanni sunt, quos Anglos vocamus. Virg.

Et penitus toto diuisos orbe Britannos.

Procus, dicitur qui petit vxorem. Inde procari, vrijen. Paganismus mos paganorum, sicut Iudaismus, mos Iudæorum. Christianismus, mos Christianorum. Induciæ, sunt cessationes vel expectationes, sed proprie in bellis. Trimatus, est tempus trium annorum, sicut bimatus, dicitur tempus duorum annorum. Aura, est ventus, ponitur pro splendore & fauore. Æquor, ab æqualitate dicitur: & non solum significat mare, sed etiam quandoque campum. Virgilius: At prius ignotum ferro, quam scindimus æquor. Hinc æquoreus, a, ũ. Basilæa, e producta, est vrbs superioris Germaniæ, & est nomen Græcum, quod latine sonat regnum vel reginam. Æstus, dicitur nimius calor. Monasterium, een clooster, à græco nomine monastus, quod idem est quod monachus. Agon, id est, pugna vel certamen. Colonia, dicitur ciuitas in quam bellis aut cladibus exhausta noui coloni mittuntur, vt Florentia est colonia Romanorum, & aliæ multæ. Framea, est magna hasta, licet alij putent esse gladium. Cruentare, est facere cruentum. Vnde male dicitur, ipse cruentat, pro ipse manat cruore. Nam cruentare, est verbum transitiuum, vt ipse cruentauit me.

In festo omnium sanctorum.

OMmnes sancti Seraphin, Cherubin, throni quoque dominationesque. Principatus, potestates, virtutes archangeli, angeli, vos decet laus & honor. Ordines noueni spirituũ beatorum. Quos in Dei laudibus firmauit charitas, Nos fragiles homines firmate precibus. Vt spiritales prauitates vestro iuuamine vincentes fortiter. Nunc & in æuum vestris sumus digni solennibus interesse sacris. Vos quos Dei gratia vincere terrea. Et angelis socios fecit esse polo. Vos patriarchæ, prophetæ, apostoli, martyres, confessores, monachi, virgines. Et viduarum sanctarum omniumque placentium populus supremo domino. Nos adiutorium nunc & perenniter,

niter, Foueat, protegat, vt vestrum in die poscimus gaudiorum vestrorum.

Nouem sunt chori angelorum, quorum summus est Seraphin, deinde Cherubin, & sic vlterius, vt hic ponuntur. Seraphin interpretatur ardentes, scilicet in amore Dei. Cherubin, lucentes, scilicet in scientia diuina, & ista duo sunt Hebraica nomina pluralis numeri. Thronus, interpretatur sedes. Virtutes dicuntur angeli facientes miracula. Solennibus hic legendum est non solennijs. Nam in nominatiuo singulari dicitur solenne, licet magis in vsu sit in numero plurali. Patriarchæ dicuntur primi vel maximi patres, vt Abraham, Isaac, Iacob. Monachus Græce, Latine vnicus vel solitarius. Populus, est vocatiui casus, vt apud Lucanum. Degener ô populus.

In obitu sancti Martini.

SAcerdotem Christi Martinum cuncta per orbẽ canat ecclesia pacis catholicæ. Atque illius nomen omnis hæreticus fugiat pallidus. Pannonia lætetur, genitrix talis filij. Italia exultet altrix tanti iuuenis. Et Galliæ trina diuisio sacro certet litigio, cuius esse debeat præsul. Sed pariter habere se patrem omnes gaudeant. Turoni soli eius corpus foueant. Huic Francorum atque Germaniæ omnis plebs plaudat. Quibus videndum inuexit dominum in sua veste. Hinc celebris est AEgypti partibus, Græciæ, cunctis quoque sapientibus. Qui impares se Martini meritis sentiunt atq; eius medicamini. Nam febres sedat, dæmonesque fugat, paralytica membra glutinat. Et mortuorum sua prece trium reddit corpota vitæ pristinæ. Hic ritus sacrilegos destruit, & ad Christi gloriam dat ignibus idola. Hic nudis mysteria brachijs conficiens, præ-

ditus

ditus eſt cæleſti lumine.Hic oculis ac manibus in cælum & totis viribus ſuſpenſus terrena cuncta reſpuit.Eius ori nunquam Chriſtus abfuit, ſiue iuſtitia,vel quicquid ad veram vitam pertinet.Igitur te cuncti poſcimus ô Martine,vt qui multa mira hic oſtendiſti.Etiam de cælo gratiam Chriſti nobis ſupplicatu tuo ſemper infundas. Amen.

Sacerdos,dicitur qui Deo dicatus eſt ad ſacra facienda. At ponitur pro Epiſcopo,vt hic. Item pro ſanctimoniali fœmina. Canere hic ſignificat laudare.Virg. Regemq́; canebant.Hæreſis Græce, dicitur latine opinio vel ſecta.Inde Hæreticus,qui malam tenet opinionem de fide noſtra.Pannonia duplex eſt,ſcilicet ſuperior,quæ eſt Auſtria et inferior,quæ eſt Vngaria.Gallia,triplex eſt,vt ait Ceſar in commentarijs,ſcilicet Belgica,Celtica,& Aquitania. Belgica,eſt à Brabantia vſque ad Pariſios.Inde eſt Celtica vſque ad Aquitaniam.Turo,eſt vrbs Metropolis.Biturigum in Gallia Celtica. cui ſubſunt vndecim ſuffraganei,qui maxime ſunt in ducatu Britanniæ:huius vrbis epiſcopus fuit ſanctus Martinus.Sedare,eſt facere ſedere,vel quietum facere.Gluten,eſt viſcus, lijm. Inde glutinare,coniungere.Sacrilegus,quaſi ſacra legens,id eſt,furans,& ponitur pro impio & infideli.Ritus , id eſt,mos. Suſpenſus ſignificat quandoque ghehangen,quandoque eleuatus,vt hic,quandoque eſt idem quod dubius. Virgil. Dicam equidem,nec te ſuſpenſum nate tenebo.

De ſancto Lebuino.

LEbuine confeſſorum pręcellens flos,qui polorum regna ſcandis ardua.Liquens orbem validorum , cor plenum portaſti morum, tu pandis miracula.Domini voces audiſti,tranſi mare , leges Chriſti reſera Saxonibus.Alme pater ſic feciſti, iuſſum Traiecto tuliſti, verba dum Grægorius præſul nouit.Lebuinum ſeruum direxit diuinum,hoc toto

cona-

conamine. Populus cis insulam credens, Deitati mox accedens, seruit personæ trinæ. Numini templum fundatur quod vulpem conuocitatur, fecit hoc gens credula. Sanctus vitiosos mundat, baptizatis dat promissa, eluit Dei gratia. Huc transit confessor gratus, patria gaudet vexatus. Dauentria credit pia. Plasmatori terrenorum, qui iustis sua cælorum dat præclara gaudia. Lebuinus vir sensatus, prudens, mitis, & beatus, signa fecit plurima. Diffidentes superauit, quorum mentes permutauit per verba salubria. Sæpe turbæ conuenerunt generale dum fecerunt pariter concilium. Illic presbyter transiuit, hunc læsissent, sed abiuit, reliquitq; populum. Tandem illæsus meauit, namq; rex ipsum saluauit cordis noscens condita. Fiet quæuis caro cinis viua, venit cito finis, de dulci migrat vita. Christi nomine formauit oraculum, plebs quo locauit valde corpus nobile. Confessoris Lebuini, nos conducat recto fini, rex plenus dulcedine. Preces funde cunctis horis, genetrici saluatoris, qui pœnas sumpsit duras. Crimina quod tollat verus plasmator validus herus, disponat mentes puras.

Cello, est verbum inusitatum, significat id quod cedo. Inde excello, id est, excedo, & præcello, id est, præcedo. Validus, id est, fortis, sed hic pro viuus accipitur. Inde inualidus, id est, infirmus. Pandere, est aperire. Virgilius. Vrbem alij reserare iubent & pandere portas. Traijcere, est transferre per fluuium. Inde traiectus, dicitur locus vbi homines & quæcunque res traijciuntur, teut. een veer. Ex hoc etiam vrbs traiectum denominata creditur. Cis & citra significant ab hac parte vel prope, sed cis iungitur nominibus proprijs, vt cis Rhenum, citra vero appellatiuis. Vitiosus, id est, defectuosus,

 Diffido,

Diffido, id est, non fido vel non credo. Ouid. Diffidunt monitis & cæt. Presbyteros Græce, dicitur senior Latine. Inde presbyter. Meare, est transire. Inde meatus, id est transitus. Migrare, est mutare habitationem, vel aliô proficisci causa habitandi, vnde & moriens migrare dicitur. Oraculum, ponitur hic pro oratoria, cum oraculum proprie sit diuina vox. Herus, est dominus, & hera, est domina. Inde herilis, id est, dominicus.

De sancta Elisabeth.

GAude Sion quod egressus à te decor et depressus, tui fulgor speculi. Rediuiua luce redit omega & alpha, quod accidit iam in fine sæculi. Poma prima primitiuos, Deus sanctus adhuc viuos vidit in cacumine. Vt extremos addat primus quãuis stãtes nos in imis suo visit lumine. Sed prę multis te respexit, odor tuus hunc allexit, & sapor & puritas. Vt de regum ramis nata, iuste vere sis vocata tu Dei saturitas. Gaudent astra matutina, quod in hora vespertina ortu noui syderis. Cæli sydus illustratur, in quo terræ designatur noui signum fœderis. Vere sydus tu præclarum, quod à sole differt parum, & luna lucidius. Tu quod sole sis amicta, carne probat hic relicta, lucis tuæ radius. O quàm dignis luces signis, vasa rapis à malignis possessa à dæmonijs. Lepræ mundas labe tactos, claudos ponis & contractos in pedum officijs. Quod negatum est naturæ, in virtutis agis iure & potes ex gratia. Vita functos tu reducis, cæcis reddis membra lucis, et membrorum spacia. Eia mater nos agnosce libro vite nos deposce, cũ electis inseri. Vt cõsortes tuę sortis, & à pœnis et à portis eruamur inferi.

Sion

Sion accipitur hic pro ecclesia militante, quæ olim decorata, fuit multis sanctis qui decor diu perditus, tandem rediijt per sanctam Elizabeth. O & alpha dicitur Christus, id est: finis & principium, nam omega est vltima litera Græcorum, alpha verò prima. Cacumen dicitur summitas. Imus, a, um, profundus vel infimus. Elizabeth, interpretatur Dei saturitas, quod aperte conuenit huic sanctißimæ viduæ. Astra matutina dicuntur angeli, quoniam & pulcherrimi sunt & primo creati. Differre, est habere differentiam vt homo differt ab equo. Etiam significat protrahere. Luc. Tolle moras differre nocet. Item differre, est percutere. Plaut. Iam ego te differam dictis meis impudice. Dignus non est idem quod bonus vel honorabilis, sed est idem quod meritus. Nam etiam de malo dicitur. Virgilius, O digno coniuncta viro, & cæt. Contractus homo dicitur, cuius nerui aruerunt, teut. die becrompen is. Fungor vita, id est, viuo, functus sum vita, id est, vixi, id est, mortuus sum. Insero, sinificat immitto vel indo. Etiam est melioris arboris ramum induere trunco alterius arboris. Vir. Insere nunc Mælibœe piros.

De sancta Catharina.

SAnctißimæ virginis votiua festa recolamus. Venerantes hunc diem præclarum omnes concinamus, Proferat hæc concio laudes & deuotio sit syncera. Concrepet organicis modulis, & canticis laude digna. Hanc fuiße filiam Costi regis vnicam tradunt scripta. Annis puerilibus artibus sophisticicis fuit clara. Turbam philosophicam vicit & rethoricam disputando. Hinc regina credit, deos vanos respuit venerari. Fit pœnalis machina, pereunt ac milia, dum rotatur agmina paganorum. Mox priuatur capite, aßumunt turbæ cælicæ sepelitur debite monte Sina. Ora pro populo precare pro clero, martyr Christi Catharina. Astantem populum precantem te clerum foue, rege per sæcula.

Votiuus, id est, desiderabilis, vel ad votum pertinens. Proferre, est ostendere. Iuue. Profer Galla caput. Etiam significat producere, vt hoc loco. Concio, est conuocatio vel multitudo hominū. Concionari, est ad populum facere verba. Sophistes, Græce dicitur sapiens disputator. Vnde ars sophistica, dicitur ars disputandi. Rotare, est voluere ad modum rotæ. Catharina tamen non fuit rotata sed fuisset, nisi dominus machinam dissipasset, in qua dissipatione multi pagani perierunt. Sina, est altus mons in deserto Abrahæ, vbi dominus Moysi dedit præcepta.

De sancto Andrea.

DEus, in tua virtute sanctus Andreas gaudet & lætatur eadem comitatus. Piscario tui nati ipse primum factus piscator populorum. Myrmidones idololatras diu fluctiuagos rete cepit fidei. Ijs legibus Achaiam tuis Deus victor illius subiugauit. Et trophæum Christi tui fixit ibi, bonum se ostentans militem. Miraculis, virtutibus, doctrinis quæcunque quæsita spolia, tibi ô rex attulit. Atque suo cruore triumphi scripsit titulos tui regum domine. Istum crucis socium & regni credimus Christi filij atque fraterculum. Nos igitur peccatis nostris grauati te Deus poscimus. Vt illius qui tua semper sectatus pręcepta tibi placet. Nos intercesione tuearis in æternum.

Gaudere, est intus lætari aut foris. Sanctus Andreas, fuit primus à Christo vocatus ad Apostolatum. Myrmidones, sunt quidā populi Græciæ: In nominatiuo singulari dicitur Myrmido i curta. Achaia, est magna pars Græciæ inter duo maria, scilicet AEgeum & Ionium sita: alio nomine Peloponnesus & Danaa, nunc Morea vocatur. Trophæum, est signum victoriæ, vnde trophæum Christi, crux est. Triumphus, est autem magnus honor, qui exhibetur victori reuertenti de prælio. Titulus, est index cuiusq; operis, id est, quod scribitur

scribitur in statuis vel in principio libri. Ponitur etiam pro monumento, aut pro lapide aut ornamento. Sector sectaris, id est, sequor, & est frequentatiuum à sequor.

In dedicatione ecclesiæ.

PSallat ecclesia mater illibata & virgo sine ruga, honorem huius ecclesiæ. Hæc domus aulæ cælestis probatur particeps. In laude regis cælorum & ceremonijs. Et lumine continuo æmulans ciuitatem, sine tenebris. Et corpora in gremio confouens animarum quæ in cælo viuunt. Quam dextera protegat Dei. Ad laudem ipsius diu. Hic nouam prolem gratia parturit fœcunda spiritu sancto. Angeli ciues visitant hic suos, & corpus sumitur Iesu. Fugiunt vniuersa corporis nocua. Pereunt peccatrices animæ crimina. Hic vox lætitiæ personat. Hic pax & gaudia redundant. Hac domo trinitati laus & gloria semper resultent.

Ecclesia Græce, Latine cœtus vel concio, igitur ecclesia est multitudo fidelium & ita capitur in principio huius sequentiæ. Accipitur etiam vulgo pro templo, & sic ponitur in fine huius versus. Illibatus, dicitur integer & incorruptus. Ruga, een rimpele. Inde rugosus, id est, plenus rugis. Ceremoniæ, sunt sacrificia. Inde ceremoniari, id est, sacrificare. Parturio, cupio parere, sed pro pario sæpe accipitur. Vnda, est fluctus. Vndare, id est, fluere. Abundare, id, est superfluere. Redundare, id est, iterum vndare vel abundare.

De Apostolis.

CLare sanctorum senatus Apostolorũ, princeps orbis terrarum, rectorq; regnoru m. Ecclesiarũ mores et vitam moderare. Quę per doctrinam tuã fideles sunt vbique Antiochus, & Remus cõcedunt tibi Petre regni solium. Tyrannidem tu Paule Ale-

drinam inuasisti Græciam. AEthiopes horridos Matthæe agnelli vellere. Qui maculas nesciat aliquas, vestisti candido. Thoma, Bartholomæe, Ioannes, Philippe, Simon, Iacobique pariles. Andrea, Thaddæe, Dei bellatores inclyti. En vos oriens & occidens, imo teres mundi circulus, se patres habere gaudet & expectat iudices. Et idcirco mundus omnis laudes vobis & honorem sanctis debitum supplex impendit.

Senatus, est congregatio senatorum. i. quod vulgus dicit concilium, teut. den raet. Inde senator, een raetsman, aliquis de senatu. Moderari, est regere. Iungitur nunc datiuo, nunc accusatiuo. Hora. Qui non moderabitur iræ, &c. Antiochius, fuit rex Syriæ, cuius filius nomine Seleucus, condidit in Syria vrbem Antiochiam ex nomine patris sui. Remus, erat frater Romuli, qui simul Romã condiderunt. Tyrannis, ponitur hic pro regno, vt sit ordo & sensus: O Paule tu inuasisti Græciam, Alexandrinam tyrannidem, id est, regnum Alexandri magni, qui primus regnauit in tota Græcia.

De Euangelistis.

IOcundare plebs fidelis, cui pater est in cælis recolens Ezechielis prophetæ præconia. Est Ioannes testis Christi, scribens in Apocalypsis, vere vidi, vere scripsi, vera testimonia. Circa thronum maiestatis, cum spiritibus beatis, quatuor diuersitatis astant animalia. Formam primum aquilinam, & secundum leoninam, sed humanam & bouinam duo gerunt alia. Formæ formant figurarum, formas euangelistarum, quorum imber doctrinarum, stillat in ecclesia. Hi sunt Marcus & Matthæus, Lucas & quem Zebedæus, pater misit tibi Deus, dum laxaret retia. Formam viri dant Matthæo, qui scripsit sic de Deo, sicut descendit ab eo, quẽ plasmauit homi-

nem. Lucas eſt bos in figura, vt præmõſtrat in ſcriptura, hoſtiarũ agens iura, legis ſub velamine. Marcus leo per diſertum clamãs, rugit in apertum, iter fiat Deo certũ, mundũ cor à crimine. Sed Ioannes ala bina charitatis, aquilina forma fertur in diuina, puriori lumine. Quatuor deſcribunt iſti quadriformes actus Chriſti, & figurant vt audiſti, quiſq; ſua formula. Natus homo declaratur, vitulus ſacrificatur, leo mortẽ deprædatur & aſcendit aquila. Ecce forma beſtialis, quã ſcriptura prophetalis notat, ſed materialis hęc eſt impoſitio. Currũt rotis, volãt alis, viſus lux eſt diſcretalis, rota ſenſus literalis, alta contemplatio. Paradiſus his rigatur, viret, floret, fœcundatur, his abundat, his lætatur quatuor fluminibus. Fons eſt Chriſtus, hi ſunt riui, fons eſt altus hi procliui vt ſaporẽ fontis viui miniſtrẽt fidelibus. Horũ riuo debriatis, ſitis creſcat charitatis, vt de fonte pietatis ſatiemur plenius. Horũ trahat nos doctrina, vitiorũ à ſentina, Sicq; ducat ad diuina ab imo ſuperius.

Euangeliſtes vel Euangeliſta, interpretatur nunciator boni, vel ſcriptor Euangelij. Iucundus per u ſcribitur, quia fit à verbo iuuo, vt inquit Tullius. Hinc verbum iucundo, id eſt, facio iucundum ergo iucundor eſt paſſiuum. Apocalypſis Græce, reuelatio latine interpretatur, eſtque liber ſancti Ioannis, quem in exilio ſcripſit de reuelationibus diuinis, in quo etiam dicit de quatuor euangeliſtis ſimiliter vt Iezechiel propheta prædixerat. Omnia fere nomina animalium, faciunt de ſe poſſeſſiuum in inus, vt bos bouinus, ab equus equinus, ab agnus agninus, à ſus ſuinus. Et de illis vlterius fiunt nomina in illus, vt bouillus, ſuillus, ouillus, & cætera. Bos, eſt animal ſacrificijs aptum. Lucas in initio ſui euangelij ſcribit de ſacrificijs, & ideo per bouem figuratur. Rugire, eſt vociferare, & eſt proprium leonis. & quia

Marcus clamauit de facienda pœnitentia, ideo per leonem significatur. Ioannes Aquila dicitur, vel propter altitudinem scriptorum, vel propter geminam charitatem qua excelluit, vel propter intelligentiæ suæ claritatem, quia aquila videt clarißime. Item Christus habet prædictas quatuor formas, nam homo natus, vitulus aut bos dicitur, quia immolatus est pro nobis. Leo dicitur, quia surrexit à mortuis, sicut leo catulos suos fertur excitare. Aquila dicitur Christus in ascensione, quia ascendit altißime. Discretalis visus, id est, discretio vel prudentia Euangelistarum. Est lux, id est, significatur per lucem, quam propheta videbat apud hæc animalia. Quatuor sunt flumina egredientia ex fonte paradisi, scilicet Phison, Nilus, Euphrates, Tigris, per quæ significantur quatuor Euangelista rigantes ecclesiam. Debriare, idem est quod inebriare vel implere, Sentina, est aqua fœtida in fundo nauis, aut locus in quo fluit aqua nauis.

De pluribus martyribus.

O Beata beatorum martyrum solennia. O deuota recolenda victorum certamina. Digni dignis fulgent signis, & florent virtutibus. Illos semper condecenter veneremur laudibus. Fide, voto, corde toto adhæserunt domino. Ei inuicti sunt addicti atroci martyrio. Carcerati, trucidati, pertulerunt plurima, igne læsi, ferro cæsi, tormentorum genera. Dum sic torti cedunt morti carnis per interitum. Vt electi, sunt adepti beatorum præmia. Per contemptum mundanorũ & per bella fortia. Meruerunt angelorum victores consortia. Ergo facti cohæredes Christo in cælestibus. Apud ipsum vota nostra promouere precibus. Vt post finem huius vitæ, & post transitoria. In perenni mereamur exaltari gloria. Amen.

Beatus dicitur qui omnia habet, ergo nemo est in mundo hoc beatus. Martyr, nomen Græcum, quod Latine testis interpretatur.

Addicere

Addicere, est adiudicare, vt supra in sequentia Petre summe. Inde addictus, id est, adiudicatus. Atrox, id est, crudelis. Atrocitas, id est crudelitas. Cedunt morti, id est, moriuntur, nam cedimus illi à quo superamur, ergo cedunt morti, qui superantur à morte. Contemptus est contemnendi actio. perennis vel perennus, id est, perpetuus, quasi per omnes annos, & scribitur sine h.

De Confessoribus.

AD laudes saluatoris vt mens incitetur humilis. Sentiat hunc diē iusta de causa celebrem. Gaudeat & sese sic pia vota promere. Hodie cælorum secreta petijt lux pontificum vel confessorum. Iugiter in choro sanctorum splendens vt sydus aureū. Et gaudium angelis factum est ex aduentu comparis. Fuisse quem angelum domini constat exercituum. Qui cuique suam tritici dans mensuram. Ad fidei caulas congregans ouiculas, lupi ipse vidit insidias. Fidelis & prudens credita distribuens, sic dedit ad mensam domini pecuniam, vt dignam faceret vsuram. Beatus hic seruus, quem cum venerit dominus, ita inuenerit. Probatum in terra, super omnia statuet illum in patria. Ad tanti patris gloriam celebrandam, clerus concinat laudem dignam, & populus lætis respondeat vocibus. Dicamus omnes cernui tanto patri, iungat se suo grex pastori, & precibus fusisque lachrymis clamemus. Pastor bone miserere ecclesiæ, tuisque precibus refoue. Confer opem plebi tuæ, preces intende, & pio iuuamine maculas dilue. In via nos adiuua, colloca in patria, redde quæ speramus bona.

Incito, significat instigo vel commoueo, ab in & cito, as. De accipitur pro propter: vt qua de re, id est, propter quam rem. His de causis, id est, propter has causas. Peto, significat adeo. Virgilius. Speluncam petit, & cætera. Ita & hic ponitur. Compar, dicitur æqualis aut socius, & corripit a in obliquis, sicut impar. Caulæ, est ouile, dictum vel à cauea vel à Græco caule. Item ouicula fit ab ouis, sicut auicula ab auis, nauicula à nauis. Dedit pecuniam domini ad mensam, id est, vsurariò. Vsura, dicitur quodlibet lucrum, siue licitum siue illicitum, fit ab vtor, nam vtendo lucramur. Patria, dicitur locus natalis: patria nostra cælum est, quia illic pater noster habitat. Clerus, est multitudo clericorum. Clerici, sunt qui diuino cultui sunt deputati. Cernuus, dicitur inclinatus & supplex vel humilis. Diluo, id est, purgo, vel lauo, vnde vinum dilutum dicimus, id est, aqua mixtum.

De vna Virgine.

VIrginis venerandæ de numero sapientum festa celebremus socij. Filiæ matris summi regis sacro sanctæ Mariæ. Quam sibi in sororem Dei adoptauit filius. Hæc corpus suum domuit freno ieiunij. Et luxuriam secuit ense agoniæ. Ista contra cunctos mortis dimicauit impetus. Et hostem cruentum freta Christi dextera strauerat. Hæc sponsum aula cæli sese inuisentem alacris. Corde iucũdo secuta eius ingressa thalamum. Tute iam dulcibus plena delitijs, Christo miserias nostras suggerito, Nobis consolationem precando.

Filiæ matris, id est, quæ virgo est filia sacrosanctæ Mariæ matris summi regis. Sacrosanctus, id est, sacer & sanctus: sacer ad religionem pertinet, sanctus autem ad virtutem. Adoptare, est eligere. Agonia, id idem quod agon, id est, certamen: Etiam agonia est timor & solicitudo. Fretus, significat confisus, vt hoc feci fretus humanitate tua. Tute, significat tu ipse, etiam dicitur tutemet. Suggere, est subministrare, tribuere vel admonere.

De

De domina noſtra.

AVe Maria gratia plena, dominus tecum virgo ſerena. Benedicta tu in mulieribus, quæ pepeiſti pacem hominibus & angelis gloriã. Et benedictus fructus ventris tui, qui cohæredes vt eſſemus ſui, nos fecit per gratiam. Per hoc autem Aue mundo tam ſuaue, cõtra carnis iura. Genuiſti prolem, nouum ſtella ſolem noua genitura. Tu parui et magni leonis & agni, ſaluatoris Chriſti templum extitiſti, ſed mater intacta. Tu roris & floris panis & paſtoris, virginum regina roſa ſine ſpina, genitrix es facta. Tu ciuitas regis iuſtitię, tu mater es miſericordiæ, de lacu fecis & miſeriæ. Theophilum reformans gratiæ. Te collaudat cæleſtis curia, quæ mater es regis et filia, per te reis donatur venia, per te iuſtis confertur gratia. Ergo maris ſtella verbi Dei cella, & ſolis aurora, Paradiſi porta, per quam lux eſt orta, natum tuum ora. Vt nos ſoluat à peccatis, & regno claritatis, quo lux luceat ſedula, collocet per ſæcula. Amen.

Gratia eſt donum vel beneficium, præcipue diuinum. Etiam eſt amor vel fauor. Serenus, id eſt, clarus. Serenare, eſt facere ſerenum. Fructus ventris, eſt filius. Nam quicquid in aliquo naſcitur, fructus eius eſt. Item fructus accipitur pro vtilitate: vt hic labor habet parum fructus. Genitura, eſt idem quod generatio, vel ſemen animalis. Theophilus, erat procurator, vel diſpenſator cuiuſdam Epiſcopi in Sicilia probus & diligens ſed tandem ab Epiſcopo depoſitus ab officio, grauiter doluit, & conſulens quendam maleficum, illius hortatu Chriſtianam fidem abnegans, diabolo ſe ſeruum fecit, vt illius auxilio rediret in priſtinum ſtatum. Tandem tamen admonitus à virgine Maria,

Maria, pœnituit, & illius ope rediit in gratiam cum Deo, Maria, est mater Christi, quo ad eius humanitatem, & est filia Christi, quoad eius deitatem nam Deus est pater omnium, Cella, est quod vulgo dicitur camera, proprie est testudo domus. Sedulus, id est, continuus.

De domina nostra.

VErbum bonũ & suaue personemus illud aue, per quod Christi fit conclaue virgo mater filia. Per quod aue salutata, mox concepit fœcundata, virgo Dauid stirpe nata, inter spinas lilia. Aue veri Salomonis mater, vellus Gedeonis cuius magi tribus donis laudant puerperium. Aue solem genuisti, aue prolem protulisti, mundo lapso contulisti, vitam & imperium. Aue mater regis summi, maris portus, signum dumi, aromatum virga fumi angelorum domina. Supplicamus, nos emenda, emendatos nos commenda, tuo nato ad habenda sempiterna gaudia. Amen.

Aue accipitur hic nominaliter, vt sit idem quod salutatio, & hoc sæpius. Conclaue, est cella conclusa & producit mediam. Verus Salomon, Christus dicitur, ob sapientiam suam. Gedeon fuit quidam dux filiorum Israel, qui petens à Deo signum, iussu Dei per noctem reliquit vellus in area, quod mane fuit rore perfusum, terra sicca existente, quod significat Mariam spiritu sancto fœcundandam corpore intacto. Moyses vidit dumũ ardere, & non exuri, quod significauit Mariam illæsa virginitate Christum, parituram.

¶ Sequentia de patronis Coloniensium.

GAude fœlix Agrippina, sanctaq; Colonia. Sanctitatis tuæ bina gerens testimonia. Postquàm fidem

fidem suscepisti ciuitas prænobilis. Recidiua non fuisti, sed in fide stabilis. Gereonis cum bis nonis tercentena concio Et Maurorum tercentorũ sexaginta paſsio. Te tinxerunt & sanxerunt, virginumque millium. Vndenorũ & decorum exornat martyrium. Seuerinus, Cunibertus, Euergistus inclyti, Agilolphus, Herebertus, partes vrbi prędıti. Fœlix, Adauctus, Albinus, Maurinus, Eliphius, Hippolytus, & Paulinus, Eualdi, Gregorius, Felix, Nabor, hi cum tribus magis vrbs sanctiſsima, adsunt. Adsunt Machabæi quibus polles formosiſsima. Vt vobiscum supplicamus patroni propitij. Gloriosè resurgamus in die iudicij. Amen.

FINIS.

¶ Visus & admissus per Petrum Curtium Pastorem diui Petri Louanien. die. xxij. Februarij. Anno. 1546.

ANTVERPIAE, EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS PLANTINVS, ANNO M. D. LXII. DIE XXII. SEPT.

